DE

PUGNA MARATHONIA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI. MENS. APRILIS ANNI MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

VICTOR CAMPE,

MARCHIUS.

ADVERSARII ERUNT:

F. SCHUETT, CAND. PHIL.
G. HAAG, CAND. PHIL.
DRD. R. ZOELLER, CAND. PHIL.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLXVII.

PATRI CARISSIMO

UT

PIUM GRATUMQUE ANIMUM PROBARET

HUNC

PRIMUM STUDIORUM LIBELLUM

D. D. L. M.

AUCTOR.

Cum multae eaeque clarissimae partes historiae antiquae nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum vero perdifficilis et perobscura est quaestio de prioribus bellis Persicis, quae et fontium brevitate ac dissensione et apertis mendaciis ita tenebris involuta sunt, ut quaestio illa admodum difficilis et dubia esse videatur. De quibus tam variae sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, ut, si etiam ipse propriam aliquam proponere sententiam audeo, verendum mihi sit, ne rei satis superque tractatae taedium mihi occurrat. Et eo magis venia mihi opus esse video, quod ea, quae mihi proponere in animo est, partim non nova sunt; sed cum, quae ab aliis hac de re scripta sunt, vel cum eis, quae a veteribus scriptoribus tradita sunt, vel cum vero parum convenire videantur, tamen aggressus sum ad hoc qualecunque opus, quo errores quosdam pro virili parte tollerem. Quodsi ne ipse quidem telam inchoatam absolvam et ad finem perducam, vel meam adolescentiam, vel rei difficul-

tatem, vel denique litterarum et studiorum cursum bello gloriosissimo, cui ipse interfui miles, intermissum mihi excusatione fore confido.

Quae nobis de bello Persico altero, sive de Marathonio proelio tradita sunt, maiore ex parte Herodoto debentur, qui tamen, si cum proelio Salaminio vel Plataeensi illud conferas, Marathonium bellum minus accurate et brevius, quam par erat, descripsisse videtur. Cuius ab auctoritate cum infra aliquoties discedere mihi necesse sit, primum mihi paucis de eius fide et auctoritate, quantum quidem ad hoc bellum pertinet, disserendum esse video.

Herodotus natus est, si Pamphilae[1]) credimus, anno 484 ante Christum natum, ut Schoellius[2]) exposuit, nonnullis annis ante, fortasse anno 489. Sed, utut illud est, hoc quidem certum est, eo anno, quo pugna apud Marathonem commissa est, Herodotum nondum natum fuisse. Iam, si Kruegerus[3]) in dissertatione subtilissima, quae est de vita Thucydidis, recte statuit, Herodotum anno 444 Olympiae libri sui partes quasdam recitasse, duobusque annis ante Athenis Panathenaeis bellorum Persicorum historiam rettulisse, apparet, satis magnam inter bella illa et hanc bellorum descriptionem tempus intercessisse, quo de illis fama quaedam popularis sub-

1) Gellius XV. 23.

2) Vide introductionem translationis Herodoti et „Leben und Reisen des Herodot.“ Phil. IX.

3) Vide Kruegerum „Ueber das Leben des Thukydides.“ p. 31.

nasci, accrescere et quasi corpus et figuram certam ac solidam induere posset. Ipse autem Herodotus se non criticam, quam dicunt, historiam scribere, sed epicam, ut ita dicam, maximorum temporum imaginem, ipse confitetur, cum suum esse negat, num vera an falsa sint, quae fama tradantur, diiudicare, sed tradita simpliciter se referre dicit. Et si igitur de ipsius fide ac veritate minime dubitandum est, immo vero quam maxime eius diligentia atque pietas laudanda est, testes tamen, quibus ille confidebat, vereor, ne non satis digni videantur, quibus eadem fides atque Herodoto ipsi habeatur. Quanta enim sit fere militum narratiunculis fides tribuenda, quis nescit? Quanta praesertim Graecis, quod genus hominum non minus mendax, quam credulum fuisse Thucydides [4]), vir omnium gravissimus ac diligentissimus testatur.

Οἱ γὰρ ἄνθρωποι, inquit, *τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώριά σφισιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται κ. τ. λ. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἔτι καὶ νῦν ὄντα καὶ οὐ χρόνῳ ἀμνηστούμενα καὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες οὐκ ὀρθῶς οἴονται κ. τ. λ. οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας καὶ ἐπὶ τα ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται.*

Ipsi vero Athenienses, quantopere suam gloriam in maius et prope in immensum tollere consueverint, cum aliis exemplis innumeris apparet, tum etiam ex eis, quae sibi ipsi de laude sua persuaserant.

4) Thuc. I, 20.

Veluti paucorum annorum spatio intermisso, cum re vera non amplius sex milia et quadringenti Persae cecidissent, brevi hic numerus adeo auctus est, ut viginti myriades [5]) illa pugna interiisse dicerentur. Apud ipsum autem Herodotum [6]), praeter portenta et prodigia narratiunculasque, quas in primis a sacerdotibus fictas esse nunc inter omnes fere constat, unum quiddam nobis relictum est, quo, quam brevi tempore historia cum fabulis coaluerit vel potius conglutinata sit, luce clarius apparet. Solem enim Herodotus ait eodem tempore, quo Xerxes exercitum in Europam traduxit, subito esse obscuratum. Nuper tamen accuratissima ratione astronomica vir egregius, Iulius Zechius [7]), solem non anno 480, sed duobus annis post, 478, defecisse ita demonstravit, ut ea de re nulla dubitatio manere possit. Atque ille quidem eam ob rem omnem illorum temporum chronologiam, qualis nunc quidem vulgo probatur, evertere voluit; contra Arnoldus Schaeferus [8]) rectissime, cum Herodoti illi narrationi minus confideret, hance solis defectionem fama vulgari reiectam in superius tempus et quasi retropositam esse intellexit, ut Xerxis introitum illum gloriosum et superbum tali prodigio, quasi omine ab ipsis deis misso

---

5) Suidas in verbo ποικίλη.

6) VII, 37.

7) Vide Zechium „Untersuchungen über die wichtigsten Finsternisse, welche von den Schriftstellern des klassischen Alterthums erwähnt werden.“ p. 39—44.

8) Pentacont. p. 3.

improbatum esse appareret. Quam celeriter autem fama historiam sequatur, et quasi eius vestigia premat, in omnibus bellis et expeditionibus, quae veluti in intima populorum viscera penetrant, facile intelligitur. Id Sybelius noster in sacris illis crucigerorum expeditionibus egregie vel demonstravit vel significavit; ut vero in ipso illo loco, in quo pugnatum est, paucis horis post pugnam ineptis vel fraudulentis rumoribus militum animi excitentur, et, ut ipsi milites narrando fingendove res ornare consueverint, ipse novissimo bello expertus sum.

Quid igitur mirum, si Herodotus quoque in his rebus famae tantum concessit, quantum illis temporibus fieri non poterat, quin unus quisque concederet; sed illi quidem id non solum casu vel forte humana accidit, verum etiam ultro Homerum imitans ad eius normam et exemplum historiam suam concinnavisse mihi quidem videtur. Ut enim iam pridem non immerito Longinus[9]) eum Homerum inter historicos appellavit, ita re vera omne opus epica quadam ratione adornavit. Sic septimo libro Xerxes, a patre regni heres relictus, ut apud Homerum Agamemno, somnio quodam fraudulento submisso, consilio prudentissimo devertitur; sic, ut ille Nestorem, ita Xerxes Artabanum habet, qui, ne illi obsequatur, dissuadet, videlicet, ut non humana superbia, sed divino consilio tantam calamitatis molem in Asiam irruisse appareat; sic Herodotus etiam ipse belli

---

9) περὶ ὕψους. p. 13.

illius descriptioni, tamquam alterum navium gentiumque hoc bello afflictarum catalogum praemittit. Atque diu est, cum Georgius Grotius[10]) Herodoti auctoritatem imminuere aliisque eum scriptoribus, quin etiam contempto illi Nepoti, postponere ausus est; quamquam is ex iis, 'quae optime perspexisset, non ea effecit, quae inde efficere licebat. Quando enim Herodoti narratio ei convenit et probabilis videtur, in eius verba iurat; si minus, ab eo discedit. Omitto alios, qui de fide auctoritateque Herodoti scripserunt, equidem hanc animo imbibi sententiam, ut hoc omne bellum Persicum ita rettulisse Herodotum putem, ut fama ferebat, non ut re vera gestum erat, multisque ac variis narratiunculis paucis post annis veram historiam incredibilem in modum corruptam, novamque historiam, quasi popularem vel vulgarem natam et conformatam esse, quam ipsam Herodotus expresserit. Sic vero, cum Herodotus haec elementa, quae iam antea in unum coaluissent, et quorum iam solidum quoddam corpus Athenis inveniret, res vere gestas, singulorum hominum fictiones et mendacia, plebis opiniones, aliaque eius generis cum fide reciperet, et summa orationis elegantia ornaret, opus effectum est, quod, ut ipsum per se magnificum ac divinum est, ita tamen, id quod ars critica sequitur, in elementa illa primaria dissolvi non iam potest. Quae autem de toto opere ac de culmine illorum bellorum iudicavimus, ea multo

10) Philol. VII, 263.

magis de pugna Marathonia valent. Decem scilicet illi anni, quibus ea pugna superior fuit, quantum valeant ad obscurandam historiae memoriam, etiam ex eo apparet, quod Herodotus tam pauca et incerta habebat, quae de illa pugna referret. Videlicet eis, quae post secuta sunt, Xerxis clade, Mardoniique interitu, superioribus illis veluti lux obstructa erat, quo facto fama incertior etiam de illis rebus, quam de sequentibus, fluctuabat et vera, falsa, incredibilia inter sese miscebat [11]).

Quae cum ita sint, minime ea, quae ab aliis eadem de re tradita sunt, negligenda esse censeo, si quidem eorum auctoritatem ad fontem satis bonum reduci posse verisimile est. Itaque alter huius belli auctor est Cornelius Nepos, qui in vita Miltiadis brevem huius belli proeliique mentionem fecit.

Qui etsi in satis multis rebus, quae ei notissimae esse poterant, in errores incidit, quae ipsa causa effecit, ut semper fere parvae auctoritatis esse videretur, tamen non abiciendus ille est, aut despicatui habendus; immo vero in eo muneris mei officio haud parva huius disputationis pars collocata est, ut, quantum ei vel auctoritatis vel fidei attribuendum sit, exquiramus.

Ac primum quidem cernendum est inter ea, quae Nepos ex suo ingenio memoriaque addidit, eaque,

---

11) Cf. Theopomp. Fragm. Hist. Gr. I. p. 306 *ἔτι δὲ καὶ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην οὐχ ἅμα πάντες ὑμνοῦσι γεγενημένην καὶ ὅσα ἄλλα ἡ Ἀθηναίων πολις ἀλαζονεύεται καὶ παρακρούεται τοὺς Ἕλληνας.*

quae ex aliis scriptoribus hausit. Illa enim plerumque falsa aut inepta, haec magna ex parte bonis ex fontibus sumta. Itaque iam pridem Rinckius [12]), subtilissimus Aemilii, ut eum nuncupat, interpres, ut in reliquis vitis sic etiam in Miltiadis vita fontes diversos, ex quibus Nepos hauserit, commonstravit. In Miltiadis capite septimo, inquit, Ephorum Cumaeum paene ad verbum nomine eius suppresso exscripsisse videtur, cetera quoque, quae in Nostri (Nepotis) Miltiade leguntur ad Ephorum deferre licet. Erroribus scatet vita Miltiadis, in qua Herodotum illorum temporum gravissimum scriptorem non consuluit. Qui vero contendunt Nostrum Herodotum novisse quidem, sed alios auctores sequi maluisse, magis etiam vituperare, quam patrocinari videntur. Quare haud perpetuo iustum suspendit lance gemina, et duo aetate diversos miscuit Miltiades, aliaque oscitantiae et festinationis admisit peccata. Cui Nepotis errori alios subiungit, totam Miltiadis vitam perstringens, qui mihi tamen plerique tales esse videntur, ut Nepoti quidem, minime tamen eius auctori opprobrio verti possint. Itaque ex primis Miltiadis vitae capitibus haec Nepotis affert peccata I. 1. Athenienses ait non sua sponte colonos in Chersonnesum misisse, sed a Doloncos eos petitos esse I. 2 non ab Atheniensibus delectos esse, qui Delphos irent, sed ipsos Doloncos regulos suos eo misisse; praeterea non cum Thracibus, sed cum Ap-

12) In editione Aemilii Probi Rothiana.

sinthiis dimicandum fuisse. I. 3 Pythiam non nominatim eis Miltiadem ducem dedisse, sed tantum per ambages et notis quibusdam significasse. I. 4. Haud verisimile esse Miltiadem de Lemno subigenda cogitasse I. 5. De ceteris Cycladibus captis non aliunde constare IV. 1. Platonem Menexeno trecentas, Herodotum sexcentas triremes fuisse dicere. Parum sibi in numero copiarum constare videri Nepotem, cum postea Datim tantum centum millia peditum in campum Marathonium deduxisse dicat. Haec quidem Rinckius. Atque certe negari nullo modo potest Nepotem Ephori historiam exscripsisse, cum fragmentum illud Ephori [13]), quod Stephanus Byzantius servavit, prope verbo tenus in Nepotis vita Miltiadis reperiatur, rectissimeque Rinckius inde concludit, verisimile esse, etiam reliqua Nepotem ex Ephoro deprompsisse. Sed mihi quidem parum probabile videtur, Ephorum, cum omnem rerum Graecarum seriem historia sua complecti suscepisset, unius Philaidarum gentis res copiosius narrasse, eamque ob rem in hisce Nepotem Herodoti potius fontem repetivisse arbitror. Ei vero opinioni magnopere patrocinatur, quod ἡμιρόδρομοι [14]) verbum ab Herodoto obiter usurpatum etiam apud Nepotem invenitur. In quibus autem Rrinckius Nepotem et Herodotum dissentire dicit, ea non tanta esse dixerim, ut non Nepotis ipsius negligentiae tribuere possis, sive

---

13) 107. collectionis Muellerianae.
14) VI. 105.

scripsit, quae ex Herodoti lectione in memoria retenuerat, sive haec ex Herodoto ipso excerpserat, sive in tarditate ingenii et negligentia eius causam eius rei positam fuisse censemus. Veluti quod duos illos viros ex eadem Philaidarum gente, quibus idem nomen erat, inter se miscuit, eorumque res tempore longe distantes in unum contraxit, Nepoti potius, quam Ephoro crimini dederim. Magis etiam ignoscendum ei est, quod, tota illa de Doloncis narratione omissa, Doloncorum loco ab Atheniensibus Delphos legatos missos scribit, praesertim cum etiam Athenienses coloniae deducendae ducisque eius coloniae vel eligendi vel confirmandi causa eodem legatos misisse verisimillimum fit. Quid vero? Eius modi scriptorem, Apsinthii utrum Graeci an Thraces fuerint, scire debuisse postulabimus? Denique quod de navium numero dissentiunt, cum Nepos quidem quingentas, Herodotus[15]) vero sexcentas Persarum naves fuisse dicat, sive in eo Nepotem memoria lapsum esse putamus, sive aliam eius discrepantiae causam esse statuimus, haece omnia levia, certe non tanta sunt, ut cum alias plane inter sese consentiant, eum Herodoto usum esse negare liceat, quoniam nec Ephorum, si has res tractavit, tam negligentem fuisse verisimile est, nec innumeris illis Ephorum Herodotumque inter se dissensisse traditum est. Utcunque tamen id est, in ipso proelio describendo Nepos haud dubie Ephorum secutus est, ut

15) VI. 95.

satis mirari nequeam, nondum ab aliis in tellectum esse, quantum in huius pugnae descriptione Nepos ab Herodoto discedat.

Etiam Plutarchum [16]) in vitis suis Ephorum exscripsisse mihi quidem prorsus persuasum est, etsi plerumque subdole videtur gravissimi auctoris nomen reticuisse, cum minorum gentium scriptores laudare, in eisque citandis doctrinae laudem captare videatur [17]). Quo magis hoc loco admodum deplorandnm est, quod, utrum Ephoro an Herodoto usus sit, constitui non potest, quoniam neque ab Herodoto, neque a Nepote magnopere dissentit, si unum illud excipias, quod omnes postremo ante pugnam commissam praetores Miltiadi imperium concessisse dicit, quam tamen rem etiam per se virisimilem esse infra videbimus.

Ac primum quidem magnum est certamen, quantae fuerint utriusque exercitus copiae, cum et veteres scriptores ea de re maxime inter se discrepent, nec inter nostrae aetatis historicos satis convenerit. Ut autem primo loco de Persis agamus, nil de eorum numero Herodotus memoriae prodidit; a reliquis autem quae tradita sunt, ea mendacii potius mentiendique audaciae causa, quam quod vera fuerint, memoria digna sunt. Plato [18]) et Lysias [19])

---

16) Heeren de fontibus Plut. p. 34.

17) Plut. parall. p. 321.

18) Menexenus p. 240.

19) Orat. funebr. §. 21. Scholiasta ad Arist. Nubes 972 (982).

quingenta milia, Plutarchus [20]) trecenta milia, Justinus [21]) sexcenta milia Persarum fuisse tradunt; Pausanias [22]) etiam ipso proelio trecenta milia occisa esse narrat. Nepos [23]) omnem exercitum ducentorum fuisse milium peditum, in ipso vero proelio centum milia peditum, decem equitum adfuisse dicit. Hi omnes numeri gloriae Atheniensium debentur; quantopere eius modi numeris pugnae Marathoniae laudem augere studuerint, inde apparet, quod eos non puduit, in publico monumento, Poecile stoa, hosce versus inscribere, quos simplex Herodoti testimonium satis redarguit:

„Ἑλλήνων προμαχοῦντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνι
ἔκτειναν Μήδων εἴκοσι μυριάδας.“

Uno tantum loco, cuius adhuc mentionem factam esse non memini, minor et fortasse nimis parvus numerus traditus est. Scholiasta enim Aristophanis loco quodam Athenienses Plataeensesque, posteaquam coniuncti fuerint, Persas numero aequasse dicit: ὡς ἐξισωθῆναι τὴν τῶν Ἀθηναίων δύναμιν τῇ τῶν Περσῶν. Etsi haec verba non solum ad copiarum numerum, sed etiam ad locum, quem utraque acies in pugna tenuit, certe ad frontem quam dicunt, aciei referri possunt. Attamen hoc quidem certum est,

20) Plut. morali. T. II p. 334.
21) Iustin II. 9.
22) Paus. IV. 25. 2.
23) Miltiades 4.
24) Suidas in verbo ποικίλη.
25) ἱππ. 778.

Scholiastam non ex Herodoto pendere, quippe qui, ab illo dissentiens, Artabazum, non Artaphernem alterum Persarum ducem fuisse dicat. Ex Aeschyli etiam Persarum fabula, in qua obiter tantum et tamquam praetereundo pugnae Marathoniae mentio fit, patet, proximis quidem post illam pugnam annis ne Atheniensibus quidem ipsis tam illustrem et magnificam pugnam illam visam esse, quam posteriorum laude, maxime poetarum et oratorum, concelebrata est. Etiam in Herodoto[26]) ipso vestigia quaedam deprehendas, quae si persequare, ad eam opinionem devenias, hanc omnem expeditionem Persis ipsis non tanti fuisse, ut grave et magnum potius bellum, quam tumultuarium quendam in Atticam impetum putarem. Datis quidem eis, quae rediens ex Graecia fecit, non magnam sibi cladem accepisse videtur visus esse, sed haec significare potius, quam persequi liceat.

Istis igitur, quos dixi, testibus cum fiducia nulla habenda sit, his autem, quas proxime attulimus notis certus numerus inveniri nequeat, ad Herodotum nobis refugiendum est, qui, etsi non ipsam exercitus magnitudinem prodidit, alio tamen modo certiorem nobis ratiocinandi viam ostendit. Disertis enim strictisque verbis naves, quae ex Ionia[27]) profectae sint, sexcentas fuisse dicit, qua in re, quin gravissimis testibus usus sit, dubitari non potest, quoniam in Ionia multi certe illo tempore erant, qui illam

26) VI. 118.
27) VI. 95.

classem solventem vidissent, quos, quod eius numerum vel maiorem vel minorem fecisse suspicemur, nihil causa est.

Παρεγένοντο, inquit, δὲ καὶ ἱππαγωγοί νέες τὰς τῷ προτέρῳ ἔτεϊ προεῖπε τοῖσι ἑωυτοῦ δασμοφόροισι Δαρεῖος ἑτοιμάζειν· ἐσβαλόμενοι δὲ τούς ἵππους ἐς ταύτας καὶ τὸν πεζόν στρατόν ἐσβιβάσαντες ἐς τὰς νέας ἐξέπλεον ἑξακοσίῃσιν τριήρεσι ἐς τὴν Ἰωνίην.

Leakius[28]) primus, ut Grotii minus accuratam aestimationem praetereamus, ex hoc navium numero exercitus magnitudinem computare conatus est. Sed cum singulis triremibus nimium gravis armaturae praesidium tribueret, nimium totius exercitus invenit numerum. Bello enim a Xerxe gesto unicuique triremi quinquaginta milites gravis armaturae impositos esse refert[29]); eundem etiam in expeditione Marathonia decem annis ante militum numerum fuisse Leakius statuit. Sed cum illa classis et navium numero et omnibus alliis rebus singularis[30]) quaedam esset, quippe ad quam parandam quatuor annorum cura et opera impensa erat, ad vulgares illius temporis conditiones et rationes recurrendum videtur. Etsi enim Persarum naves, quod longiores et periculosiores cursus suscipiebant, aliquanto maiores firmioresque fuisseconstat[31]), remigum

---

28) Leake de demis Atticis interpretationis Westermannianae p. 104.

29) VII, 184.

30) VII, 20. VII, 96.

31) Thucyd. VIII, 29.

tamen numero eos non tantopere Graecos superasse apparet. Huc accedit, quod illo tempore triremes nondum constrato instructae erant, quod haec omnis sub Datide et Artapherne expeditio magis maritima erat, non ea, quae militibus, quibus bellum terra gereretur, impleta esset. Ultimo vero seditionis Ionicae anno Chiorum[32]) naves optime paratae quadraginta armatis ornatas fuisse Herodotus narrat. Totidem erant in Cliniae[33]) nave proelio ad Artemisium commisso, quam ipse splendidissime instructam rei publicae dono dederat. Etiam Athenienses tempore belli Peloponnesiaci, cum tamen ars vel navigandi, vel naves aedificandi quam maxime progressa esset, infra hunc numerum substitisse videtur[34]). Hisce fere notis Finlayus[35]), Leakii errore emendato, exercitus illius numerum computare ita conatus est, ut singulis triremibus quadraginta milites attribueret. Equites fere mille habuisse Datim credit, rectissime: nam si, quantis cum difficultatibus equorum transportatio coniuncta fuerit, quot navibus, ut hic parvus equorum numerus transportaretur opus fuerit, reputamus, satis iam magnus nobis, ingens vero et inauditus Atheniensibus ille equitum

---

32) VI, 15.
33) VIII, 17.
34) Thucyd. I, 29, 51, 61. II, 56. III, 91. IV, 9, 42, 53. VI, 7, 30, 43. VII, 62. VIII, 24, 25. Xenoph. Hell.
35) Dem. Phil. I. §. 28. Finlay in Hoffmanni diario geographico particula II, p. 11. seqq. Boeckh, „Staatshaush." I, p. 298.

numerus videri dedebat. Itaque sic computat Finlayus. DC triremes,

milites gravis armaturae	24000
milites leviter armati	30000,
remiges et classiari	60000
naves onerariae	5000 remiges,
	1000 equites,
	1000 calones.

Sed cum alia quidem omnia praeclare exposuerit, una in re errasse eum arbitror, quod equos onerariis navibus impositos fuisse existimavit. Nam et Herodoti locus supra laudatus νέας ἱππαγωγοὺς illas sexcentarum navium numero comprehensas esse docet, et ναῦς [36]) verbum apud Graecos, praesertim, ubi res gestae vel gerendae exponuntur, semper armatam triremem significat, cum oneraria sive mercatoria navis πλοῖον dicatur. Quodsi mille illos Finlayi [37]) equites centum navibus transvectos ponimus, iam hasce exercitus rationes inveniemus.

DC triremes.	20000 milites gravis armaturae.
	25000 leviter armati,
	1000 equites,
	1000 calones,
	60000 remiges et classiarii.

Huc accedit incerta navium onerariarum vis, quarum tamen hoc loco, quo de proelio agitur, ratio non habenda est. Porro etiam ex eo, quod Persae

36) Schol. ad Arist. Ἱππ. 598. Cf. Westermann ad Dem. Phil. I. §. 16. Krüger ad Thuc. II, 56.

37) Thuc. II, 56. VI, 43.

post pugnam tam celeriter naves conscenderunt, tamque paucae a Graecis naves captae sunt, certissime consequitur, remiges classiariosque vel omnes vel maximam partem a proelio procul fuisse, certeque, nisi a mari, pugnae non interfuisse. Sed huic etiam numero haud exigua manus detrahenda est, cum aliquot naves praedam et captivos, quibus in itinere et in Euboea Persae potiti erant, in Asiam transportaverint, multi praeterea homines in Eretria et Carysto oppugnandis ceciderint, aliquot denique triremes ad captivos Eretrienses custodiendos in Aegilia insula occupatae fuerint. Neque nimis multos ab illo numero detraxisse Finlayus[38]) videtur, cum eorum qui a pugna abfuerunt, numerum fere quatuor milium militum gravis armaturae, eundemque leviter armatorum fuisse statuit, ut ex nostra ratione non amplius septendecim milia hoplitarum, viginti milia leviter armatorum, mille equites remaneant. Verum etiam sic satis ille magnus exercitus erat, qui Atheniensibus summo posset terrori esse, etsi eo numero, qui est in ineptis scriptorum fabulis, multo inferior est.

Mira quadam et nova ratione Minutolius[39]) Persici exercitus numerum tractavit. Nepotis enim testimonio, qui equitum decem milia fuisse dicit, confisus hosce equos et equites ducentis et quinqua-

---

38) Finl. l. c.

39) In diario artes litteras doctrinam militarem continente. partic. VI. p. 246—278.

ginta navibus transvectos esse statuit, ita, ut unicuique navi quadraginta equos tribuat. In ceteris navibus efficit quadraginta duo milia peditum fuisse. Sed haec quidem ratio, ut mihi quidem videtur, ratione prorsus caret; cur enim equitum numerum, quem Nepos tradidit, probat; peditum, quem idem Nepos tradidit, non probat; Adde rem prorsus inauditam, quod unam navem quadraginta equos capere potuisse contendit. Denique quem peditum numerum fuisse statuit, si ipsi milites non remiges intelliguntur, omnem modum excedit; si et milites et remiges, iusto multo minor est. Nam eosdem et remiges et milites fuisse, Homericis temporibus convenit, non eis de quibus hic agitur.

Quantus fere Persarum exercitus fuerit, intelleximus; iam paucis qualis fuerit, videamus. Minime equidem cum Leakio [40]) consentio, qui veteranos Darii milites cum turbis Asiaticis mediae aetatis comparat, disciplinaeque ignaros adeoque ignavos etiam existimat fuisse, ut flagellis ad pugnandum impelli eos oportuerit. Primum enim comparatio illa prorsus vana et inanis est; quis enim nescit, omnes illas Orientis gentes veluti gradatim delapsas et depravatas esse? Neque magis ex eo qui nunc est statu, de Persis ac Medis iudicare licet, quam ex Graeculis vel Italis huius saeculi de veteribus illis Spartanis aut Romanis. Immo vero nullam fere antiqui temporis rem publicam melius administratam

---

40) Leake l. c. p. 100.

fuisse puto, quam Darii imperium. Huius et si non ipsum florem et vigorem, sed ruinae incipientis aetatem Xenophon vidit, tamen vel in Cyropaedia, vel alibi praeclaram eius imaginem nobis reliquit. Neque vero minus bene de bellica virtute illarum gentium iudicandum est. Hi enim illi milites erant, qui per sexaginta fere annos victorias victoriis cumulaverant, qui Iones Atheniensium consanguineos per tot annos subactos tenuerant, nuperrime seditionem eorum felicissime restinxerant. Qui in hac ipsa expeditione tres urbes haudquaquam exiguas, Naxum, antea frustra obsessam et Carystum et Eretriam facili negotio ceperant, hos milites verisimile est Athenienses timuisse? Perpetuis prope bellis cum fortissimis bellandique peritissimis nullaque re Graecis inferioribus dimicaverunt, veluti cum Medis, Assyriis, Lydis, Babyloniis, Aegyptiis, semperque ex illis bellis victores excesserant; urbes magnas et munitas et quibuscum Athenae nullo modo comparari poterant, Babylonem, Memphim, Sardes, Miletum expugnaverant; hos vix animo defecisse putandum est, cum contra Graecorum urbem contemptam et ignotam proficiscerentur! Adde quod propter Sardium incendium, bellumque sine ulla iusta causa contra ius gentium Persis illatum Persae merito ira flagrabant, quodque paucis annis ante Athenienses, qui Ionibus rebellantibus auxilio venerant, quasi primo Persarum adspectu perterriti, turpiter aufugerant, ut Persae, vel si numero inferiores fuissent. sua tamen virtute freti Graecos aggredi tum quidem vix

dubitavissent. Atque huic exercitui Darius Datim e
Artaphernem praefecerat, quibus Hippiam addidera
socium, terrae Atticae animique Atheniensium aequ
gnarum, et qui adolescens cum patre exilio redien
parva manu Atheniensium exercitum dissipaverat
etsi hi etiam illo tempore pro patriae libertate pugna
bant. Datim autem, penes quem summum imperiu
erat, non socordem et inertem reique militaris ignaru
ducem fuisse, qualem Leakius fuisse arbitratur, ho
ipso bello elucebit. Nam, ut Naxum, Carystum
Eretriam captas praetereamus, in ipso proelio Ma
rathonensi, cum summum esset periculum, omnium
que rerum discrimen, non solum exercitum classem
que servavit, sed consilio etiam non minus auda
quam callido cum clade victoriam connectere conatu
est, idque haud dubie exsecutus esset, nisi Miltiade
etiam huic conamini occurrisset.

Hisce et copiis et ducibus iam obviam venit pa
vus ille quidem, sed nimis contemptus Atheniensiu
exercitus. Cuius de magnitudine cum ab Herodot
nihil proditum sit, ad alios scriptores nobis confu
giendum est. Omnes igitur testes[41]) in eo conve
niunt, Atheniensium ipsorum novem vel decem mili
fuisse, quibus mille Plataeneses ascesserint; ita tame
ut eorum, qui novem milia rettulerunt, maior aucto
ritas esse videatur.

Sed mirari vix satis possumus, quod non plure
Athenienses in eo proelio fuerint. Nam civium n

41) Pausan. 4, 25, 5; 10, 20, 2. Plut. parall. c. l. C. Nepos c.

merum multo maiorem fuisse satis constat. Clisthenis enim fere tempore colonia quatuor milium civium Chalcidem deducta erat: qui cum paullo ante impetum Persarum ex insula Euboea rediissent, eo tempore fere quatuordecim milia civium fuisse certe verisimile esse statuam [42]). Quid iam causae esse dicamus, cur, si quidem Herodoti narrationem sequimur, Athenienses, quippe quibus tempus ad contrahendas omnes copias ex illa narratione ne minime quidem defuerit, non omnes copias Marathonem ad pugnandum deduxerint; praesertim cum hoc proelio de patriae salute, de libertate, decerneretur, neque ulla proditionis suspicio esset tanta, quae Miltiadem permovere posset, ut exercitum ipsum per se inferiorem Persis divideret, inque tam audaci vel potius praecipiti alea, omnia periclitaretur. Quae res admodum obscura atque dubia ita solum explicari posse videtur, si, ut infra docebo, Persas non per novem dies in campo Marathonio otiosos stetisse, sed quam celerrime Graecos ex loco natura munitissimo, quem Miltiades prudentissime occupaverat, expellere ac deiicere conatos esse statuamus. Sed Atheniensium illi numero totidem fere servi aliique leviter armati adiungendi sunt, id quod postea in proelio Plataeensi factum esse legimus, ita ut universum exercitum decem milium gravis armaturae, decem milium militum leviter armatorum fuisse appareat. Etsi vero Athenienses militum nu-

42) Staatsh. I. 339. 343. atque al. loc.

mero Persis inferiores, etsi porro belli artisque m
litaris parum periti, certe minus periti quam Persa
erant, etsi denique equitum inopia admodum labo
rabant, nondum tamen, ut Iones luxuria mollitiequ
effeminati erant, nec ignorabant, de summis bonis
certamen esse, cum fortitudinis praemia libertatem
patriam, gloriamque immortalem, ignaviae fructum
servitutem, aut exilium media in Asia, fortasse etiam
tyranni dominationem sibi proposita esse intellige
rent. Atque ei exercitui fortissimi patriaeque aman
tissimi viri praeerant, in eis Themistocles, Aristides
quorum nomina non hominum, sed virtutum fuiss
dixerim, maxime vero is, in quo uno omnis victo
riae spes posita erat, Miltiades. Hic, qui in Cher
soneso Thracica tyrannus fuerat, non solum patria
amore, odioque Persarum flagrabat, sed belli etiam
peritia omnibus praestabat. Nam cum Dario bell
Scythico interfuerat, seditionem Ionum adspexera
ex propinquo, ut, quomodo Persae bella gereren
aciem instruerent, urbes oppugnarent, quibus virtu
tibus florerent, quibus vitiis laborarent, penitus co
gnoscere posset[43]). Cuius cum seditionis exitum
tristissimum vidisset, eiusque causas in summa im
prudentia Ionum, perversaque belli gerendi ration
positas fuisse intellexisset, impedivit ipsis Athenien
sibus repugnantibus, quominus pari imprudentia rem
gererent, et bellum illud ad felicissimum eventum
perduxit.

---

43) Herod. VI. 41.

Loci illius, in quo pugnatum est, descriptionem longiorem proponere, supervacaneum est, cum de eo a multis hominibus doctis accurate disputatum sit. Nemo enim fere, ex quo Graecia turpi Turcarum dominatione liberata est, Athenas adiit, quin idem Marathonium campum adeundum sibi putaverit. Itaque iam difficile est, praesertim ei, qui non omnia, quae de eo loco publici iuris facta sunt, mente comprehendere potuerit, ea praebere, quae aliqua ex parte perfecta aut prorsus explorata videantur. Pauca tamen, quae ad rem, de qua hic agimus, proprius pertinent, commemorare hoc loco nobis liceat [44]).

In primis igitur mirum videri potest, cur Persae a Marathone, non ab alia litoris parte in Atticam intrare conati sint, cum illo quidem loco, ut eventus docuit, vel toti exercitui summum periculum minaretur. Licebat in Oropiam descendere, licebat Marathone, licebat Halis Araphenidibus, licebat in ipso portu Phalerico. Sed primum illa in via, quam primam dixi, etsi descensus copiarum impediri non poterat, montium tamen altitudo et asperitas, castella praeterea munita obstabant. Denique a classe exercitus terrester avellebatur, in qua tamen summa rerum agendarum posita erat. Halis etiam, ut nostra aetate Turçae [45]) docuerunt, via apertissima erat, quae per Mesogaeam Athenas duceret; sed, si quidem satis magnum Atheniensium praesidium aderat, id

44) Conf. Finlay l. c. et Leake de demis Atticis l. c.
45) Finlay b. Hoffmann, p. 16 Ann.

quod in loco Athenis tam propinquo perfacile erat, difficile et periculosum erat in conspectu hostium copias maximeque equos exponere. Simillime res Phaleri se habebat, ubi omnes Atheniensium copiae celerrime adfuturae et egredientem exercitum excepturae esse videbantur. Marathonius campus, quam erat proelio committendo iniquus, tam erat opportunus ad copias exponendas et, quod Marathon Athenis quam longissime aberat, et, vel si Atheniensium exercitus adfuisset, ne sic quidem eos egredi prohibere potuisset. Atque sperabant haud dubie Datis et Hippias, Athenienses belli genus, quo Graeci ab Homeri temporibus usi erant, non mutaturos esse, seque ante portas urbis medio in campo a Graecorum exercitu expectatum iri, ut quinquaginta fere annis ante Athenienses cum Pisistrato in Mesogaea conflixerant [46]). Primo autem aspectu maximeque navi praetervehentibus aptissimus locus videri poterat, praesertim equitatui; sed si quis eum locum accuratius contemplaretur, contra rem se habere invenire poterit. Campus enim litori adiacens a terra undique montibus minus altis quam arduis et praeruptis circumclusus, paucis tantum viis, eisque praeter unam maiori exercitui difficillimis, equitatui vero omnino inviis et insuperabilibus coniuncta erat, ut, una illa, quam diximus, satis munita firmoque praesidio defensa in Atticam ipsam intrare inde non possent. Ipse autem campus septem vel octo

---

46) Herod. I. 62.

milia passuum in longitudinem, duo milia in latitudinem extenditur: per mediam planitiem transversum flumen decurrit, quod, ut in illis terris saepius fit, paulo ante ostium, plerumque exarescit. Iam septentrionalis planitiei pars palude satis magna expletur, a mari ad montes porrecta ita tamen, ut inter mare et paludem angusta terrae lacinia relinquatur, cui pedibus firmiter insistere liceat; etiam in meridionali parte prop elitus palus est minor, quam illa, et aestate plerumque sicca. Sinus Marathonius in longitudinem novem milium passuum dimidio quasi orbi a promontorio Cynosura ad radices montis cui nunc nomen Argalici est, pertinet. Eius sinus pars septentrionalis satis profunda et quasi portus quidam amplus natura factus optimam navibus stationem praebet, a ventis fluctuumque impetu plerumque tutam, praeterea a terra vel ipsis hostibus praesentibus palude illa maiore anteiacente satis defensam, unde tamen facile in planitiem progredi liceat. Montibus vero campus hisce includitur. Occidentem versus montes sunt Stavrokoraki, Cotroni, Aforismo, meridiem versus Argaliki mons, qui unus ex his montibus satis leviter assurgit. Ac primum quidem valle inter Staorokoraki et Cotroni montes sita via in Boeotiam ducit, altera valle inter Cotroni, Aforismo, Argaliki montes via difficilis et ardua per Cephisiam Athenas ducit. Una tantum Persis reliqua erat, quae sub Argaliki montis radicibus secundum mare ducebat, satis lata ipsique equitatuique commoda, qua

superatis modo angustiis per Mesogaeam longiore illo quidem, sed commodiore itinere Athenas petere licebat.

Quae si reputamus, Datim Hippia auctore bona ratione, nec vero eis causis, quas Herodotus affert[47]) permotum, hac via uti constituisse apparet. Nam et navibus appellendi optima praebebatur facultas, et hostibus nondum praesentibus montibus sese potiturum, indeque celerrime in Mesogaeam descensurum sperabat, classe secundum litus comitante. Huc accedit, quod Hippias, ignarus, quantus libertatis amor totum Atheniensium populum cepisset et quasi perfudisset, fortasse tali modo Diacriam, patriam terram, patriaeque potestatis fundamentum ac sedem sibi reconciliari posse opinabatur. Atque huic Datidis consilio optimus felicissimusque eventus non defuisset, nisi Miltiades ceteris praetoribus, ne intra urbis muros se includerent, persuasisset, et proelio non in campo sed in montibus commisso omnia haec consilia pervertisset. Sed iam eo devenimus, ubi ad historiam ipsam nobis transeundum sit. Primum autem videamus ea, quae ab Herodoto de ordine rerum gestarum prodita sunt[48]). „Eretrienses, cum Carysto expugnata se iam a Persis peti comperissent, Athenienses auxilio vocasse, hosque illis obtemperantes quatuor milia cleruchorum suorum, Chalcide misisse. Hosce certiores factos

47) Herod. VI, 102.
48) Herod. VI, 101.

esse, inter Eretrienses, de proditione urbis cogitari, atque, ne una cum illis interirent, Athenas se recepisse; Datim vero Eretriam per sex dies frustra oppugnatam septimo die proditione cepisse. Quo facto paucos dies requievisse barbaros, tum vero in Atticam magna vi invasuros apud Marathonem, qui locus et equitatui aptus, et proxime Eretriam esset, Hippia auctore appulisse. Cuius rei cum nuntius Athenas perlatus esset, eodem sese Athenienses contulisse; exercitui autem praefuisse decem praetores, quorum decimum fuisse Miltiadem. Prius vero, cum etiam tum in urbe essent, Phidippidem cursorem Lacedaemonem misisse, qui a Spartanis auxilium peteret; quod auxilium illos quidem non negasse, sed cum ante lunam expletam proficisci non liceret, statim venire non potuisse. Plataeenses vero cum Atheniensibus, cum in Heracleo essent, sese coniunxisse. Duces deinde ipsos dissensisse, utrum acie decernendum esset, annon, cum quidem Miltiades maxime proelium quam celerrime committendum esse censeret. Hunc autem Callimacho, ex cuius sententia pendebat, utrum consilium vinceret, ut in suas partes transiret, persuasisse. Tum eos praetores, qui a Miltiadis parte stetissent, suum quemque imperium Miltiadi mandasse, hunc vero suum diem expectavisse, eoque demum die proelio decertavisse.

Ac primum quidem errorem, in quem plerique inciderunt nunc emendandum esse video. Sunt enim qui ex Herodoti verbis decimo demum die pugna-

tum esse efficiant. ἦγον δέ σφεας, inquit Herodotus[49]), στρατηγοὶ δέκα, τῶν δέκατος ἦν Μιλτιάδης. At mihi quidem hoc loco nihil aliud intelligi posse videtur, quam quod est apud Nepotem[50]), fortasse ex Herodoto exscriptum „decem praetores, in eis Miltiades" cuius elocutionis sane inaccuratae Plutarchus, similiter omisso αὐτὸς pronomine, de eadem re scribens exemplum[51]) reliquit; ἔτι δὲ Ἀριστείδης μὲν ἐν Μαραθῶνι μαχομένων καὶ πάλιν ἐν Πλαταιαῖς δέκατος ἦν στρατηγὸς. Ergo nihil est causae, cur decimo demum die pugnatum esse censeamus.

Sed hoc etiam errore sublato Herodotum in eis, quae narrat tantopere et sibi ipsi et rei naturae repugnare patet, ut alii nobis fontes circumspiciendi esse videantur, ex quibus verisimilira ac fortasse veriora haurire nobis liceat. Et eis quidem, quae Plato[52]) attulit, videlicet tribus diebus Eretriam esse captam, et quae sequuntur, non nimium fidei tribuendum esse, facile tibi persuadebis. si, quo loco illa scripta sint, reputaveris. Nepos autem, quem hoc loco Ephorum secutum esse verisimile est, et ea dicit, quae multum ab Herodoto dissentiant, et quae ipsa per se fide non indigna videantur[53]): Inter quos duces, ait, magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus; unus

---

49) Herod. VI, 103.
50) Miltiad. c. 4.
51) Plut. Parall. p. 353.
52) Menexenus p. 240.
53) Miltiad. 4.

Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent, de eorum virtute non desperari; et hostes eadem re fieri tardiores, si animadverterent, auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus fuit auxilio praeter Plataeenses. Ea mille misit militum; itaque horum adventu decem milia armatorum expleta sunt. Quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate, quo factum est, ut plus quam collegae valuerit Miltiades. Eius ergo auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoque idoneo castra posuere; dein postero die acie regione instructa non apertissima proelium commiserunt [54])".

Haec quidem Nepos. Primus autem Grotius, falsa illa loci Herodotei interpretatione deceptus, Herodotum aspernatus est, auctoritatique illius Nepotem anteposuit. Item illo loco, quo Nepos iam in urbe dissensionem inter praetores et certamen exortum esse dicit, utrum moenibus se defenderent, an acie decernerent, Herodotum errasse rectissime indicat, cum is, si alia praetermittamus, in his sibi ipse repuguet. Quam enim orationem [55]) apud Callimachum Miltiades habuisse dicitur, eam flocci habendam esse vix demonstrandum est: Est enim non minus, quam Xerxis et Artabani, Xerxis et

54) Grote: History o. Graece.
55) Herod. VI, 109.

Demarati, Solonis et Croesi, totque aliorum colloquia haud dubie ficta. Sic Miltiades Callimacho, ut quam celerrime pugnandum esse censeat, proditionis domesticae timorem depingit; at paullo infra, cum nulla morandi causa esset, Miltiadem summo otio suum imperii diem expectavisse narrat. Haec quomodo inter se sociari et conciliari possint, equidem non intelligo. Porro quod Nepos tradidit, iam in urbe praetorum inter se controversiam et rixam erupisse, admodum probabile est, utrum ratione antiqua, qua Jonia, qua Eretria perierant, quaque, nisi unus Themistocles fuisset, etiam sequente bello universa Graecia interiisset, an nova ex hostium consuetudine locique natura deprompta bellum gerendum esset. Si vero Herodotum sequimur, non intelligitur, quo modo praetores in ista dissensione esse potuerint. Iam enim eo res venerat, ut non, utrum proelium committerent, an moenibus se defenderent, disceptandum esset, sed utrum fugiendum an pugnandum, tam magno hoste, quem se victuros esse, vix sperare audebant, in propinquo ipsis opposito. Atque hanc summam Miltiadis láudem censeo, quod ita, belli genere mutato, ne triste Mileti expugnatae fatum iteraretur, prudentissimo consilio prohibuit.

Ipsius autem proelii diem septimum decimum Metagituionis mensis, sive duodecimum Septembris fuisse, Boeckhius[56]) satis demonstravit. Nunc iam,

56) Index lectionum anni 1816 et „Mondcyclen“ p. 60.

quo ordine res gestae sint, videamus. Qua in re summi est momenti cognoscere, quam diu exercitus Graecorum et Persarum sibi Marathone oppositi fuerint. Grotius[57]) igitur eos diutius in eodem loco commoratos esse, tempusque, quod, quanti fuerit, vix dici potest, inutiliter et imprudenter trivisse negat. Qua in re, id quod verum est, acriter vidit; causa vero, quam affert, respuenda mihi videtur. Nam, cum indignum erat, ut in summo patriae periculo Miltiades inepta gloria motus, collegae laudis partem invideret, tum vero, ne illud quidem negligendum est, Athenienses quotidie Spartanorum adventum expectasse, de quo si Miltiades, ut verissimillime certior factus erat, non dubium est, quin, si id ei per Persas licuisset, proelium unum diem vel duo dilaturus fuerit. Etenim si suae et vanae gloriae causa, quo tempore de patriae salute agebatur, prius proelium commisisset, non immortalem laudem meruisset, sed pravissimae ac propemodum puerilis temeritatis, quin etiam proditionis ignominiam subiisset. Persis contra moram illam in campo Marathonio non commodam, sed etiam periculosam fuisse, Graecis angustias viarum montesque tenentibus, Finlayus[58]) concedit, ipse tamen alia ratione difficultatem tollere periculumque amovere vel certe minuere conatus est. Onerariis enim navibus commeatum pabulumque supportantibus, rei frumentariae

---

57) Grotius: Hist. Gr. II, cap. XXXVI.
58) Finlay l. c.

satis provisum esse, atque ita quidem eos, etiam si decem dies otiosi transegissent, tamen fame non perituros fuisse dicit. Sed hoc est explicare, cur non fame absumpti sint, nec vero, quid eos commovere potuerit, ut tempus et tam longum et tanti mehercule ibi inutiliter perderent. Ac si Persae diutius in illa statione fuissent, certe tamen montes quosdam illis occupare licebat; aut a mari, navibus nonnullis quae appulsis ea, quae a tergo Atheniensium essent, pervagari et infestare, aut aliquo modo Athenienses reprimere conari: quorum tamen omnium nihil factum est. Sed si Finlayo credimus, summo otio, cum se Graecos ex montibus deiicere posse desperarent, velut in urbe ab hostibus oppugnata, ita in campo Marathonio sedebant, aut deum sibi aliquem auxilio venturum, aut Graecos a diis mente sana privatos in campum descensuros esse expectantes. Huc accedit, quod Datis, de Lacedaemoniorum adventu proximo quoque tempore expectando ab Aeginetis aliisque certior factus, hoc sibi munus maximum iniunctum esse existimare debebat, ut primo quoque tempore cum Atheniensibus, etiam tum numero inferioribus, confligeret, ne, si Lacedaemonii, de quorum virtute fama iam pridem ad Persas perlata erat, suas copias cum Atheniensibus coniunxissent, Graecorum exercitus ita accresceret, ut suis numero prope par esset. Quid vero Datidi, si solos Athenienses vincere non poterat, Lacedaemoniis et Atheniensibus coniunctis, spei reliquum erat?

Atque hanc fuisse, proelii accelerati et prope festinati causam, Nepos[59]) disertis verbis dicit; haec enim snnt eius verba: „Datis confligere cupivit, quod, prius quam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utille arbitratus est.“ His ex causis illud, quod Nepos tradidit, altero die postquam Persae ad Marathonem appulerint, proelium commissum esse verisimillimum est. Ita, quod quidem ad Persas pertinet, huncce fere rerum gestarum ordinem inveniemus, si de reliquis rebus, in quibus neminem habemus, quem sequamur praeter Herodotum, iam ad huius auctoritatem redierimus.

Die septimo decimo mensis Metagitnionis proelium commissum est; sexto decimo die apud Marathonem navibus egressi sunt, qua in re haud dubie totus fere dies consumptus est, praesertim, cum etiam equi in terram educendi castraque munienda essent. Quinto decimo die Eretria avecti sunt, captivosque in Aegilia insula deposuerunt; iam, cum Herodotus paucos dies post Eretriam captam Persas quievisse tradat, verisimile est, Eretriam fere undecimo mensis die captam esse; quinto denique eius mensis die primum Eretria a Persis oppugnata est. At haec cum aliis quae Herodotus rettulit, coniungi et consociari vix posse videntur. Athenienses, cum Persas adesse nuntiatum esset, Phidippidem, qui auxilium peteret, Lacedaemonem misisse; Quem nono mensis Carneorum die eo pervenisse. Sed

50) Miltiades c. 5.

primum hoc etiam loco Herodoti verba non omni ex parte satis accurata et praecisa sunt. Nam etsi ex narrationis ordine consequitur, Phidippidem post Persarum in Atticam adventum Lacedaemonem missum esse, tamen verbis[60]), ἐόντες ἔτι ἐν τῷ ἄστεϊ tempus non satis accurate descriptum est, et quasi regressio in superiora tempora fit, ut mihi quidem hoc loco Herodotum rerum narratarum ordinem perturbasse verisimile sit. Sed, utut illud est, si revera Phidippides non prius, quam Persae in Atticam escendissent, Lacedaemonem missus esset, Atheniensium segnities et temeritas non minus nobis, quam Spartanorum famosa illa perfidia videri mirabilis deberet. Amentiae enim incredibilis erat, tum demum a sociis auxilium petere, cum hostis iam in terra esset, si multo ante Athenienses hoc sibi imminere sciebant. Nam, quantumvis Spartani festinarent, septimo demum die, ex quo nuntius expetens auxilium Athenis profectus erat, pervenire Athenas poterant. Itaque socios nisi antea iam id fecerant, rogare tum quidem supervacaneum erat, quoniam, tali temporis spatio interiecto, aut, si vicissent, non amplius opus auxilio erat, si autem victi essent, per Lacedaemonios eripi ex pernicie non poterant. Immo vero Phidippidem probabile est, iam ante ab Atheniensibus missum esse, vel cum duo decimo aut undecimo mensis die Eretriam a Persis captam audivissent, bellumque iam sibi proxime instare

60) Herod. VI, 105.

scirent, vel cum Cleruchi Chalcidenses Eretria rediissent, id quod per se verisimilimum est, cum iam tum nulla mora interponenda esset, quin socios circumspicerent, arcesserentque, omniaque compararent, quae patriae defendendae futura sperarent. Idque etiam cum nostra ratione optime convenire videbimus.

Nono enim Carneorum mensis Phidippidem Lacedaemonem pervenisse auctor est Herodotus. Quodsi tertio aut quarto die cleruchi Atheniensium Eretria profecti sunt, non multo certe, ut ex Herodoto apparet, ante Persarum adventum, quoniam eiusmodi proditorum motus appropinquante iam periculo maximeque hostibus praesentibus oriri solent, sexto vel septimo mensis die Athenas pervenerunt. Iam si necessitate urgente, quam celerrime contio habita est, post quam Phidippidem sine mora Lacedaemonem miserunt, et si verum est, quod traditum est, Phidippidem altero post profectionem die Spartam pervenisse, nono certe mensis die venit, id quod cum Herodoto optime consentit. Lacedaemonii vero, qui illo tempore Carnea ludos egerunt, nondum tanto in discrimine rem esse, nec Eretriam tam paucis diebus captum iri opinabantur; quo factum est, ut, ludi ne turbarentur, non statim proficiscerentur, sed peractis demum ludis exire statuerent. Fortasse etiam Athenienses nimio timore angi putabant. Nam si re vera grave et praesens periculum imminere credidissent, haud dubie ne ludi quidem illi eos prohibuissent, quominus illis auxilio advolarent. Quam-

quam ne illud quidem negaverim, etiam hic eiusdem negligentiae et levitatis animi vestigia quaedam deprehendi, qua etiam alias, veluti ante pugnam Plataeensem et identidem bello Peloponnesio, in ipsos socios suos egerunt. At vero, cum Eretriae captae nuntius tertio decimo mensis die Spartam perlatus esset, omni haesitatione missa, tanta celeritate, tantoque studio ad auxilium ferendum properaverunt, ut tertio die, postquam Sparta profecti sunt, Athenas pervenirent[61]), uno die post quam dimicatum est.

Tali ratione, perpaucis modo ex eis, quae Herodotus rettulit, mutatis, vel potius translocatis, hunce rerum gestarum ordinem probabilem invenimus, cuius non minimam laudem hanc esse censeo, quod sic solum Spartanorum nomen perfidiae crimine exsolvi potest. Boeckhius quidem, qui primus diem proelii constituit, huiusque omnis, quam hic inire conati sumus, auctor est, cum Herodoto consentit. Attamen nihil est in eius diputatione, quod huic coniecturae repugnet. Nam si Boeckhius proelium septimo decimo mensis die factum esse inde effecit, quod Spartani luna expleta sive sexto decimo Metagitnionis die domo profecti et duodevigesimo die Athenas pervenerint, ea in re prorsus cum eo consentio.

Iam quae aliorun scriptorum iudicia sint, videamus. Grotius cum Boeckhio non consentit. Plutarchum[62]) potius secutus Boedromionis sexto die

61) Herod. VI, 120.
62) Plut. parall. 138.

pugnatum esse existimat, qua de re satis iam ab aliis viris doctis disputatum est, ut nunc Boeckhii sententiam omnibus numeris probandam esse inter omnes constare videatur. Sed licet in eo erraverit, multa tamen et permagna Grotio debentur, maxime, quod primus profiteri ausus est, non eam esse Herodoti fidem, de qua dubitare prorsus nefas sit. Alii, in quibus Thirlwallus, Leakius, Finlayus, Dunkerus, Curtius Herodotum aut bona fide secuti, aut etiam false interpretati illas, quarum supra mentio facta est, difficultates aut neglexerunt, aut frustra tollere conati sunt, quorum ex numero sententias eorum, qui accuratius hac de re egerunt, breviter afferam.

Atque Phidippidem demum, postquam Persae navibus egressi sunt, Lacedaemonem missum esse, omnes confidenter credidisse miror, cum tamen, quam incredibile illud sit, satis perspicuum sit. Quod vero ex Herodoto effecerunt, Miltiadem decimo demum die, certe vero non iam altero, sed posteriore quodam proelium commisisse, summas omnibus difficultates paravit.

Leakius[63]) quidem de Atheniensibus, deque consilio eorum parum sollicitus, nihil prorsus causae affert, cur Athenienses integros decem dies otiosi fuerint, neque magis, cur non unum certe diem huic tergiversationi addiderint, praesertim cum, si ita fecissent, Lacedaemonii Atheniensibus subventuri esse viderentur. In Persas potius oculos convertit,

63) Leake l. c.

quaeque eorum inertiae causae fuerint, anquirit. „Miratus sum, inquit, cur Persae in loco tam angusto substiterint, cur non montium planitiem undique circumcludentium cacumina occupaverint, cur non equitatum in Mesogaeam Athenas versus dimiserint, ut a tergo Atheniensium palarentur commeatuque eos intercluderent. Facili enim ratione circumvenire Athenienses, omnique ex parte cingere, aut certe illos, ut se reciperent cogere potuisse. Tale nihil factum esse ex Herodoto apparere; ne vallem quidem, in qua nunc Marathona oppidum situm est, apertam sibi occupare conatos esse, sed immotos in prima illa statione secundum litus remansisse, donec Athenienses aggrederentur.“ Sane res incredibiles, quas tamen ita intelligi posse arbitratus est. „Eis inquit, qui segnitiem, ignaviamque gentium orientalium cognoverunt, quarum mores et ingenia omnibus temporibus immutata permanserunt, qui porro secum reputant, quam illae gentes ab omni disciplina militari alienae sint, quamque artis belli gerendi imperitae, ad eamque stolidae, talis vel agendi ratio vel eventus incredibilis videri non potest.“ In his quae de Persarum inertia dixit, falsissima coniectura effectum esse, supra commemoravi; cum vero Persas non tales fuisse nequaquam ignoremus, eis, quae vir ille militaris existimavit, magis etiam confirmatur id, quod nos censemus: Persas videlicet, non eos fuisse, qui talia vitia committerent. Ergo ne minime quidem consentaneum est, Persas tot dies

nihil agentes eo loco sedisse. Contra Finlayus [64]) Persarum divitias, potentiam, opes, fortitudinem, disciplinam admodum laudat, Graecosque omnibus his rebus superatos esse ab eis concedit. Sic cum Leakio maxime dissentit, alioque modo difficultates illas tollere conatur. Cum igitur ex Herodoti silentio nihil consequi dicat, veram, ut mihi quidem videtur, aliqua ex parte sententiam vir doctissimus protulit. Rectissime enim ex ipso proelii loco apparere arbitratus est, Persas neque Marathone urbe, neque angustiis sub Argaliki monte in Mesogaeam ducentibus potiri potuisse. Verisimile igitur esse, satis firmum Atheniensium praesidium, fortasse mille milites, illis in locis ad aditus tuendos primoque ab impetu defendendos collocatos fuisse. Hisce Persas neque angustias, neque urbem eripere potuisse, atque hanc esse causam, cur in planitie per otium Graecorum impteum complures dies expectaverint.

At primum quidem minime verisimile est, tam parvum Graecorum numerum, mille illos milites dico, tanto Persarum exercitui, quos praesertim summa virium contentione hisce locis potire studuisse, credendum est, resistere potuisse. Multo etiam minus probabile est, Persas cum hoc loco mille Athenienses superare non potuissent, decemplicem eorum numerum eodem loco sese victuros esse speravisse. Huc accedit, quod neque Herodotus, neque alius quisquam huius rei, si quidem accidisset, ullam fecit mentionem.

64) Finlay l. c.

Neque magis, cur Athenienses montibus locisque natura et arte munitissimis relictis ad pugnandum in planitiem descenderint, cur Persae non alio loco escendere et ab litore in interiorem Atticam prorumpere conati sint, cur equitatus, in quo haud minima Persarum spes posita erat, pugnae particeps non fuerit, ut alias multas res praeteream, illa Finlayi ratione intelligitur. Sed etiamsi haec omnina omittamus, quae satis incredibilia sunt, proelium tamen ita, ut Finlayus illud mente informavit, committi non potuisse infra demonstrabimus. Alio modo, et aliqua ex parte rectissime, etsi falsa illa vocis δέκατος, quae est apud Herodotum, interpretatione deceptus, Ernestus Curtius[65]), vir egregius, videtur sibi verum invenisse. Athenienses enim intellexit in Persarum conspectu descendere in planitiem nequivisse, quippe quod profecto extremae amentiae fuisset, eaque de causa Athenienses, montium capitibus occupatis immotos Persarum impetum munitissimis, quos tenebant, locis expectasse. Persas autem, cum per novem dies Athenienses inde deiicere frustra conati essent, vel etiam locum ab Atheniensibus occupatum nimis firmum, quam qui vi expugnari posset, intellexissent, navibus inde avehi, alioque loco fortunam temptare statuisse. Tum equis et parte exercitus navibus impositis, altera parte armata in litore stante, quae naves conscendentibus, totique illi muneri prae-

65) E Curtius G. Gesch. II. p. 23 und Göttinger Gelehrt. Anz. 1859. p. 2013.

sidio esset, Athenienses subito de montibus descendisse, magno ac vehementi impetu in Persas irruisse, illumque exercitum iam numero minorem, qui praesertim nullum omnino impetum timeret, profligavisse.

Qua coniectura, quamvis ingeniosa, qualem nemo est, quin a Curtio expectet, magis tamen augeri difficultates quam miuni videntur, cum, Herodoto plane abiecto, novam paene proelii historiam excogitaverit; qua optime quidem explicuit, cur Athenienses tot dies otiosi et inertes steterint, item cur non Lacedaemoniorum adventum expectaverint, minime tamen, cur Persae tot dies inertia sua perdiderint, aliaque quae supra in aliis harum rerum scriptoribus admonuimus. Praeterea vero eiusmodi pugnam, qualem Curtius finxit, propter ipsius loci naturam fieri non potuisse, post videbimus.

Demonstravimus, ne a doctissimis quidem sagacissimisque viris Herodoti auctoritatem defendi ac servari potuisse, cum aut, qui eius vestigia sequerentur, maximas difficultates de medio tollere non possent, aut ipsi maxime, magisque, quam mihi ipsi necesse videtur, ab illo recederent. Non igitur nimis audacter factum videbitur, Nepotem, vel potius Ephorum, Nepotis auctorem sequi, qui statim postero die pugnatum esse prodidit, Persis haud dubie aggredientibus, quod totius meae rationis ac disputationis fundamentum esse supra dixi Ista vero via si pergemus, etiam hominum doctorum, contra quos supra disputavi, sententias magna ex parte servari posse, cum ad ipsius proelii descriptionem pervenero

apparebit. Hisce praemissis Herodoti narratio hanc fere mutationem subibit.

Athenienses igitur, cum a cleruchis Eretriam fortasse intra paucos dies captum iri comperissent, siue dubio omnia, quibus opus erat, ad patriam defendendam comparaverunt. Atque primum quidem socios, ut sibi succurrerent, rogavere, e quorum numero soli Plataeenses venerunt, cum Spartani Eretriae oppugnationem in longius temporis spatium distractum iri crederent. Exercitui decem praetores praeerant, in his Miltiades, quibus undecimus Polemarchus Callimachus additus erat. Hi cum de belligerendi genere dissentirent, uni se moenibus defendere, alteri, maxime Miltiades, acie decernere vellent, Callimachus in Miltiadis partes transiit. Iam ei [66]) praetores, qui Miltiadis sententiam probaverant, fortasse etiam reliqui, ad Miltiadem suum imperium detulerunt, cum ille unus belligerendi peritus, tantoque discrimini par esset. Miltiades autem, quam celerrime urbe egressus, castrisque loco idoneo positis, primum aditus angustiasque comumnivit. Sic Marathoniam viam arboribus stratis praeclusit et sine ulla dubitatione in ipso oppido praesidium collocavit. Idem eum Halis, Phylis, Sunii fecisse arbitror, Athenis vero ipsis, si forte hostes Phaleri in terram escendere conarentur, fortasse etiam quod proditionem aliquam metueret, satis magnam exercitus partem reliquit. Iam cum eo exercitu, qui his praesidiis

66) Plut. par. 321.

detractis supererat, in septentrionales Atticae partes profectus, fortasse sub Brilessi montis radicibus meridiem spectantibus castra posuit, unde et ipse brevissimo tempore et Marathonem et Halas et Phylas venire, et quo celerrime omnes exercitus partes contrahere poterat. Plataeenses dubium videtur, utrum Persarum demum adventu impetuque audito auxilio venerint, an iam antea se cum Atheniensibus coniunxerint, proeliique die, fortasse quod angustiae inter Boeotiam et Atticam a Miltiade illis custodiendae traditae erant, et longius iis iter superandum erat, ultimi venerint. Persas igitur apud Marathonem escendere in Terram nuntio ad Miltiadem perlato, Miltiades, priusquam Persae omnes copias exposuissent, eo properavit, locumque natura et arte munitum in Argaliki monte situm occupavit. Iam omnibus Atheniensium copiis et Plataeensibus in unum coniunctis, omnibusque eis, quae diximus, praesidiis adiectis, soli aberant, qui Sunium, quique Athenas ipsas tuebantur, illi quod Sunium longius aberat a Marathone, quam ut inde satis brevi tempore Marathonem pervenire possent, hi ut, si quis de seditione ac proditione cogitaret, eiusmodi conamina coercerent. Atque sic, cur non omnes Atheniensium copias pugnae interfuerint, intelligitur.

Datis vero, etsi locum sibi haud opportunum esse intelligebat, suorum tamen et virtute et numero fretus Graecos aggredi decrevit; id fortasse eodem die fecit, quo Miltiades, etiamsi reliqui imperatores ei non imperium concessissent, tamen id suo loco et ordine gessisset.

Sed videamus iam, quae de ipso proelio et ab antiquis scriptoribus tradita, et ab recentioribus rerum scriptoribus de eo proposita sint. Cum enim ei, ex quibus hauriendum sit, auctores ita inter se discrepent, ut si singulas eius pugnae descriptiones legas, non de uno, sed de diversis proeliis relatum esse credideris, et Herodotus plane incredibilia habeat, recentiorum rerum scriptorum sententiae, utri aggressi sint, quo loco proelium commissum sit, aliique de rebus, maxime inter se dissentiant.

Si Herodotum sequimur, Graeci initium pugnae fecerunt; ut Persae, cum Athenienses sine sagittariis, sine equitatu in se irruentes viderent, eos insania captos esse opinarentur. Atque octo stadia Athenienses sic cursu emensos esse, eosque primos fuisse qui currentes in hostes impetum facere ausi sint. Sed quis non intelligit, hoc ipsum omnino fieri non potuisse, ut armatus miles tantum spatium currendo transiret, multo vero minus, ut currendo defessi et exanimati manus conserere, hostemque non me hercule ignavum vincere posset, nisi ipsi dei, ut est apud Homerum, homines divino robore ornassent aut illi Μαραϑονομάχοι siugulare aliquod genus hominum fuissent. Rectissime ea de causa Leakius iudicavit, id prorsus abiiciendum esse; ipse vero censuit, Athenienses, cum impetum facerent, primum ita, ut consentaneum erat, pedetentim ad Persas accessisse, et tum demum cum proxime ad eos accessissent, currere coepisse, ut nunc etiam fit, ut copiae, vel pugnam ineuntes, vel ex pugna redeuntes

cursu citato telorum periculum evitent. Sed si Athenienses, relictis montibus natura arteque munitis, in planitiem descendissent, ipsis maxime inutilem, Persis vero opportunissimam, quoniam primo impetu facili negotio ab sagittariis equitibusque conteri poterant, re vera insanorum nomen meruissent.

Contra, si Nepotem audimus, Atheniensium exercitus in montibus collocatus erat, ita, ut et montium altitudine tegeretur et arborum tractu equitatus impediretur. Datim tamen, copiarum suarum numero fretum aggredi statuisse, priusquam Lacedaemoniorum auxilia advenissent. Graecos vero et Persarum impetum feliciter reppulisse et hostes usque ad naves persecutos esse. Plane hoc loco Nepos, vel potius is, quem auctorem secutus est, cum Herodoto dissentit. Atque ea, quae ille prodidit, si quis opinione inveterata, sed falsa, abstineat, multo verissimiliora, rerumque naturae magis convenientia esse videntur. Primum autem, quem admodum Leakius, vir militaris rerumque Atticarum peritissimus hac de re iudicaverit, videamus.

Athenienses[67], ait, castra posuisse in valle Marathonia inter montes Argaliki et Cotroni sita; a tergo defensos septis et Marathone urbe satis munita, ab hostium equitatu montium illorum natura tutos. Iam cum dimicare Miltiades statuisset, ex septis, quae vallem Marathoniam claudebant, exercitum produxisse, cumque non tantas copias haberet,

67) Leake l. c.

ut huic toti aciei firmandae sufficerent, mediam eius partem minus firmam fecisse, ut acie per amplius spatium distractu, eandem atque Persae, exercitus frontem efficeret.

Callimachum ex eo iure, quod antiquitus polemarchis erat, dextrae alae praefuisse; Aristidem et Themistoclem cum sua quemque tribu in media acie stetisse, Plataeenses in sinistra aciei parte extremos collocatos fuisse. Sic totam aciem ab Heracleo usque ad flumen Marathonium, paullo infra locum, qui nunc Seferi vocatur pertinuisse. His Persas octo stadiorum spatio intermisso oppositos fuisse, ita, ut dextrum cornu prope Staorocoraki montem, sinistrum prope paludem illam minorem collocatum esset; in media acie optimas Datidis copias, Persas et Sacas stetisse. Atque acerrime esse dimicatum ad tumulum, cui nunc Soros nomen est; iam mediam Atheniensium aciem in Cotronicollem se recepisse; sinistram Persarum in litus, dextram in angustias Tricorythum ducentes fugisse, ubi ei, quorum Pausanias mentionem fecit, in palude perierint. Naves Persarum secundum litus prope terram stetisse, eaque re intelligi, quomodo fieri potuerit, ut tantus Persarum exercitus naves conscendere posset.

Quae Leakii opinio multis nominibus reprehendenda nobis et abiicienda esse videtur. Primum enim, ut omnes, qui haec loca post eum adierunt, consentiunt, falsissime coniecit, Persas in Tricorythi planitie castra posuisse. Nam similiter atque in Thermopylis aditu in campum Marathonium prohiberi

poterant, navesque a castris palude profunda et satis magna separatae erant; neqne satis explicat, cur Persae, si illo loco pugna commissa est, equitatu non usi sint; Persarum stultitiae hoc vitium, ut omnia alia, tribuit. Porro non magis intelligitur, cur, si pugna ita commissa est, ut Leakius finxit, Miltiades mediam Atheniensium aciem minus firmam esse voluerit, cum tamen vir tanti ingenii facile intelligeret, fortunam pugnae in omni alia parte potius, quam in media acie, periclitandam esse. Atque nil Persas impediebat, quominus a mari ante pngnam Argaliki montem occuparent et sic ab utroque latere Graecos urgerent. Cur denique Miltiades Marathoniam potissimum vallem defendendam putaret, cum tamen manifestum esset, Persas non hac via in Atticam penetrare velle, sed altera illa, secundum litus in Mesogaeam ducente, cur non hanc potius omni diligentia munierit, non demonstravit. Licet hic quidem opinari, valle Marathonia occupata etiam hanc viam satis munitam fuisse, quod Persae in conspectu Atheniensium, ab dextra parte impetui Atheniensium expositi, in hanc viam se committere audere non potuerint. Sed Argaliki monte occupato, navibusque secundum litus comitantibus, equitibus vero ac sagittariis dextrum Persarum latus tegentibus, agmen Persarum illa via progrediens satis superque muniri poterat, ut per angustias viarum, in quibus ipsis nil iam timendum erat, in Mesogaeam pervenirent.

Finlayus [68]), cum aciem utramque nullo modo ita instructam esse potuisse intellexisset, alium locum ab Atheniensibus occupatum fuisse demonstravit. Gràecorum castra apud Herculis templum fuisse; aciem vero ante hoc templum in montis Argaliki radicibus fuisse. Quod si fecissent, primum providisse eos, ne a Marathone oppido intercluderentur, tum vero etiam viam illam prope litus defendisse, eoque in loco per otium sine metu expectare potuisse, ut aut Persae aggrederentur, aut sibi ipsis opportunitas aliqua aggrediendi offerretur. Summi autem hoc loco momenti est, quod, si eum locum tenebant, nulla ex parte circumveniri poterant. Nam meridionalis sinus Marathonii pars ita comparata est, ut mare saxosum et vadosum magisque ventis expositum sit, quam, ut praesentibus hostibus copias exponere facile sit. Praeterea parva manu Cotronii montis praerupto culmini imposita vias Marathonem et Oenoen ducentes facillime tueri poterant, praesertim cum illo iamiam tempore Marathonem satis munitam fuisse credendum sit. Valles autem olivetis vinetisque refertae hostium aditum impediebant. Haec omnia, quae adhuc exposita sunt, optime a Finlayo perspecta ac demonstrata sunt, ut, si etiam de ipsa pugna et de pugnae loco rectius existimasset, nihil fere nobis, quod eius disputationi adderemus, reliquum fuisset. Sed iam ad eum ipsum locum deve-

68) Finlay l. c.

nimus, in quo ne Finlayo quidem amplius duce nobis uti liceat.

„Persae enim, ait, qui eo, quem supra diximus, loco appulerant, castra inter paludem maiorem et flumen Marathonium, liceat enim hoc ei nomen tribuere, posuerant. Graecorum vero statio natura et arte firmior erat, quam ut Persae eam aggredi conarentur. Quare otiosi in castris sedebant, praesertim cum mari commeatus facile subvehi posset. Miltiades vero, fortasse quod in metu erat, ne Hippiae eiusque amicorum fraude seditio Athenis fieret, hostium maiore numero contempto, ultro sibi aggrediendum esse censuit, paullatim fortasse Atheniensium audacia aucta, quippe qui desuper Persas intuerentur, quidquid illi agerent, oculis cernerent, etiam armaturam eorum ac disciplinam militarem se inferiorem esse intelligerent. His rebus permotus Miltiades pugnae locum ipse elegit, aciemque ita instruxit, ut dimicari volebat, ante castra sua inter Cotroni montem et litus prope paludem minorem. Quem in locum, inquit Finlayus, Miltiades gradu quam maxime citato processit, ut inde in Persarum aciem impetus fieret. Quo in itinere, cum totam planitiei latitudinem explerent, circumveniri ab equitatu non poterant, et cursus celeritate, quod equites sagittariique eis deerant, quodam modo compensatum est. Sed haec tamen causa cum ne Finlayo quidem ipsi satis magna videretur, nimis audacter suspicatus est, equitatum pabulandi causa Tricorythum dimissum fuisse, quod nisi statueretur, in-

tèlligi non posse, cur Persae equitum opera in pugna non usi essent. Denique ventum et undas prohibuisse, quominus navibus hostes dextro Atheniensium lateri instarent. Ceterum in cornibus stetisse octingenos milites in fronte aciei, senos vero ordines alterum post alterum fuisse, in media acie nongentenos homines tribus ordinibus stetisse, ita ut tres tribus eam partem aciei tenerent. Ea ratione duodecim milia militum et trecentos in acie stetisse; quodsi cornuum altitudinem non senorum, sed quinorum militum fuisse statueremus, decem milium septingentorum numerum inveniri. Propter scuta minora, hastasque minus longas densius ac spissius stetisse Persas, ita ut in acie tria milia militum starent; Xenophonte vero auctore antiquo more Persas sex ordinibus fuisse instructos, ut ea quidem ratione duo deviginti fere milia militum gravis armaturae haberemus. Proelio igitur commisso, cum Persae et Sacae iam terga vertissent, sinistrae alae copias a navibus in septentrionali litoris parte collocatis exceptas et conservatas esse, eos vero, qui recta via fugissent, in paludem maiorem illam incidisse, in eaque interiisse. Cum vero Athenienses ipsas etiam naves aggredi conarentur, rediisse Persis animum, atgue tum demum cognitam esse praeclaram Persarum disciplinam militarem, quoniam exercitus victus et in fugam coniectus, septem tantum amissis navibus conscendere naves potuisset. Fortasse etiam equitatum rediisse et Graecorum victoriae, Persarum fugae finem fecisse; fortasse etiam sagittariis

et funditoribus a mari adiuvantibus Persarum fugam inhibitam esse, ut maior exercitus pars effugere potuisset. Tum reliquam classem avectam esse, ut ex portu Phalerico iterum aut Athenas ipsas necopinato opprimere, aut planitiem assequi conarentur; Miltiadem vero, hostium consilio perspecto tanta celeritate per Mesogaeam Athenas exercitum duxisse, ut, priusquam classis Persarum portum Phalericum occupasset, iam ad defendendum paratus staret. Quo facto Persas in Asiam rediisse.

Quod vero huic rerum gestarum descriptioni nihil dicit, quod ab Herodoto proditum sit, repugnare, immo vero Herodoti narrationem ea explicari et suppleri, de eo non immerito dubitandum esse mihi videtur. Nam etsi Leakii peccata recte perspexit, minime tamen omnes difficultates sustulit, nec mirum est, recentiores Graecarum rerum scriptores minime cum eo consentire. Audacius enim mihi quidem rem suam egisse videtur, quoniam, quae nec Herodotus, nec alius quisquam scriptor tradidit, quasi comperta et explorata esse ponit. Quae si omnino facta essent, sine dubio memoriae tradita essent. Primum enim, ut, quomodo Persae ante Atheniensium adventum tempus triverint, vel cur tot dies otiosi uno loco commorati sint, exponat, Persas Marathonem urbem frustra oppugnasse fingit, Hippiamque eo tempore usum esse ad amicitias cum Pisistratidarum gente vel renovandas, vel connectendas. Atque his rebus, quominus Argaliki monte viaque in Mesogaeam ducente potirentur, Persas prohibitos

esse. Sed ne sic quidem ea res omni dubitatione exsoluta videtur, quoniam, postquam appulerunt, statim Persas angustias illas, siquidem poterant, occupaturos fuisse apparet. Quod vero mille cives Athenienses Marathoni praesidio fuisse urbemque eam a Persis oppugnatam esse dicit, utriusque rei Herodotus quidem nullam omnino mentionem fecit, id quod eo magis admirandum est, quod Finlayus uno se Herodoto auctore uti profitetur. Atque quis non intelligit, hos mille milites Persarum exercitui resistere nullo modo potuisse? Porro, quod dicit, Graecos proelii committendi causa in campum descendisse, et ipse intelligit, illud insaniae ac dementiae futurum fuisse, si Persis equitatus adfuisset. Quod ne fiat, cum aliam causam excogitare non possit, fingit, equites pabulandi causa Tricorythum abiisse, etsi Herodotus ipse, Persas acie instructa Atheniensibus obviam venisse tradit; quare vix credibile est, eos pugnam ineuntes equitatu, quippe quod quasi robur exercitus victoriaeque pignus esset, caruisse. [Atque hoc loco Finlayus etiam Suida teste usus est, qui proelium χωρίς ἱππεῖς commissum esse dicit, ex eoque testimonio efficit, eos a Persis ipsis pabulandi causa dimissos fuisse.] Hoc vero loco Suida teste usus est, qui proelium absentibus equitibus commissum esse dicit, significantibus videlicet Ionibus, qui in Datidis exercitu erant: ὡς εἶεν χωρὶς οἱ ἱππεῖς. Sed ex hoc frustulo tantum concludere, praesertim cum hoc Herodoto repugnet, summae profecto audaciae est, ut etiam Curtius ea de re

iudicavit. Deinde, qua de re iam Leakius locutus est, Athenienses, milites gravis armaturae, octo stadia currendo pervolasse statuit, hostesque inopinato oppressisse, etsi exercitui instructo, si hostes tanto intrevallo accurrentes videt, satis superque temporis esse apparet, quo se ad illos excipiendos praeparent. Haec igitur prorsus futilia sunt. Quae vero de eo loco, quem Athenienses ab initio occupaverint atque tenuerint, dixit, adhuc non refutata sunt, et verissima esse mihi videntur.

Rossius [69]) etiam, cum Athenis degeret, virorum rerum militarium peritorum consilio adiutus, pugnam describere conatus est. Sed etsi Herodoto auctore usus est, plurimis tamen eisque gravissimis in rebus tantopere ab eo discedit, ut novam plane nullisque testibus firmatam pugnam, ut ipse animo eam finxit, afferre videatur. Optime quidem, quibus causis permoti Persae ad Marathonem naves appulerint, explicat. Nam nisi certae quaedam magnaequé causae eius rei fuissent, multo opportunius ad Prasias aut Phaleri litus futurum fuisse, quo equitibus expositis contra hostes uterentur. Nam quod Herodotus dicat, Marathonium campum pugnae equitum aptum in primis fuisse, eaque de causa Hippiam hunc ipsum locum ad escendendum elegisse, id cum loci natura parum convenire. Ea potius de causa id factum esse, quod Hippias Tetrapolim, suae gentis sedem patriam et Pisistratidarum imperii fundamen-

69) In diario geographico Hoffmanni. part. II. p. 46.

tum suas in partes abituram speraverit. Quod consilium quominus perficeret, Athenienses celerius spe advenientes prohibuisse; nihilo tamen minus iam vel minus opportuno loco dimicandum esse illum censuisse. Minime vero Athenienses ultro aggressuros esse, eum exspectasse, cum ipse Herodotus Atheniensium impetum necopinatum fuisse tradiderit. Ceterum Athenienses eodem loco stetisse credit, quo Leakius, septaque, quae Nepos commemorat, in valle supra Cotroni montem posita fuisse, ne a tergo a Persis circumvenirentur.

Quod Herodotus dicat, Persas impetus celeritate oppressos esse, Atheniensium aciem videri mane diluculo arboribus aedibusque occultam octo stadiorum a Persarum castris intervallo instructam esse. Quod spatium Graecos percurrisse, ut Persae ad se excipiendos quam minime parati essent; quo facto hos sine ulla dubitatione in tabernaculis oppressos et fugatos esse. Hanc esse unam rationem, qua prosper pugnae eventus explicari possit, cum equitatui nulla pugnandi potestas facta sit. Hostem fugatum, magisque suo terrore quam Atheniensium fortitudine victum, castris relictis sese ad naves recepisse, septemque navibus amissis sine maiore clade discessisse. Quod denique Pausanias multos Persas palude haustos esse tradidit, Rossius minorem illam paludem intelligi credit.

Sed quamvis haec pugnae expositio subtiliter excogitata et concinnata sit, tamen ei quam maxime repugnaverim. Atque quae de loco, quem Graeci

occupaverint, statuit, ea iam supra, contra Leakium disputantes refutavimus. In ipso autem proelio describendo nimium quantum ab Herodoto recedit. Is enim Persas non in castris oppressos esse, sed acie instructa Graecos expectasse et excepisse dicit. Cui autem probari potest, aut Herodotum proelium ita, ut factum ab eo videmus, narraturum fuisse, aut eius auctores, qui certe proelio ipsi adfuerant, illius diei ita oblitos esse, ut pugnam in castris commissam subitamque incursionem cum magno et iusto proelio commutarent. Sed, etsi haec Rossii descriptio nulla veterum scriptorum auctoritate firmata, ipsi Herodoto quam maxime repugnat, ne sic quidem omnes scrupulos omnemque dubitationem sustulisse putandus est. Nam, quod omnes ante eum summa diligentia, etsi frustra, explicare studuerunt, cur Persae tam diu loco minime opportuno commorati sint, id ne uno quidem verbo attigit. Cur non via illa secundum litus ducente potiti sint, cur non montes aut colles aliquos occupaverint, omnino neglexit. Persas vero medio in campo, montibus circumcluso, in quibus hostes stare non ignorarent, media in hostium terra sine vigiliis securos somnum cepisse credidit; nullo denique modo, qua ratione Persae, siquidem in castris oppressi erant, tam gravem cladem tam feliciter effugerint, probare conatus est.

Reliquum est, ut de Ernesti Curtii[70]), viri doctissimi et sagacissimi, opinione loquar, qui propriam

---

70) E. Curtius, Hist. Graeca. nota ad part. II. p. 23.

quandam huius pugnae explicandae viam ingressus est. Qui cum superiorum scriptorum disputationibus eis, quae in tantae pugnae descriptioni requirerentur, nullo modo satisfactum esse intellexisset, novam quandam opinionem proposuit, subtilissimam illam quidem et elegantissimam, sed quae minus veterum scriptorum, quam Curtii ipsius ingenio et auctoritate firmaretur. Persas enim, cum per novem dies Graecos a montibus descensuros esse frustra speravissent, prius consilium mutavisse, alioque loco magis idoneo Atticam invadere statuisse. Quare naves conscendere decrevisse, atque, quo id tutius exsequerentur, partem exercitus, quae conscendentibus praesidio esset, aliquam diu in terra reliquisse. Ac primum quidem, quoniam id omnium difficillimum esset, equitatum navibus imposuisse.

Graecos vero, qui ex altioribus locis, quos tenebant, partem hostilis exercitus, praecipue autem equites iamiam terra excessisse, reliquos vero tam infirmos esse, ut minus de pugna, quam de salute cogitarent, cognovissent, hac occasione oblata utendum sibi ratos, castris montibusque relictis, quam vehementissime sese in Persas coniecisse, eosque pugna haud diuturna fugasse, cumque naves conscendere conarentur, septem ex earum numero cepisse. Hac ratione simplicissima facillime explicari, cur Miltiades non antea aggressus sit, curque nunciam Lacedaemoniorum adventum non diutius expectaverit, diem autem proelii casu eum fuisse, quo Miltiadis ipsius quasi proprium imperium esset. Et

ista quidem ratione negari non potest magnam dubitationis partem sublatam videri posse, si modo vera essent, quae proposuit, nec tam ipsius ingenio efficta, quam bonorum testium fide comprobata. Sic etiam perspicuum esse, cur equites pugnae participes non fuissent, cur dubie etiam proelii exitu pars exercitus naves conscendere, tantoque ex discrimine tam paucis et militibus et navibus amissis effugere potuisset. Sed etiam huic Curtii opinioni pauca quaedam opponere nobis liceat. Primum quidem, cum Herodoto uno auctore usus sit, idem Curtio, quod Rossio, crimini dandum est, quod gravissimam illius narrationis partem neglexerit, in rebus minoris momenti eius auctoritatem secutus sit. Deinde castra Persarum ab his relicta cum immensa praeda a Graecis capta esse ita traditum est, ut ea de re nullus dubitationi locus sit[71]). Atque si Persae eo consilio, quo Curtius putat, avehi voluissent, num castra cum ingentibus divitiis reliquissent? Non ante omnia alia navibus imposuissent? cum praesertim non domum navigare, sed alio loco rem denuo tentare statuissent, ita, ut tentoriis, ceterisque rebus, quae in castris esse solent, brevissimo tempore rursus sibi opus futurum esse intelligere deberent.

Sed etiamsi haec omittimus, Curtii tamen opinionem ne sic quidem probari posse videtur. Etsi enim negare non possum, optime a Curtio ea, quae supra diximus, explicata esse, et cur Miltiades hoc

71) Plutarch. parall. p. 321. C. Nep. Milt. c. 5.

ipso die aggressus sit, et cur tam diu cunctatus sit, et cur Lacedaemoniorum adventum non expectaverit, minime tamen demonstravit, quid tandem Persas commoverit, ut tam diu inertes eodem loco sederent, cum tamen primo statim die, ut Curtius statuit, ex hoc loco se in Atticam prorumpere non posse vidissent, certeque ante Lacedaemoniorum adventum cum illis dimicare utilissimum esset. Praeterea vero, etsi ipse Curtius non accuratius dixit, quo loco proelium illud factum esse sibi videretur, media tamen in planitie pugnatum esse, haud dubie cogitavit. Iam ex ea litoris descriptione, quam supra proposuimus, apparet, Persarum navium stationem in septentrionali sinus Marathonii parte fuisse, in eo videlicet angulo eius, qui sua natura portum amplum et satis profundum et a ventis tutum efficit, cum pars sinus meridiem spectans vadis saxisque infesta et periculosa sit. Itaque navis a promontorio Cynosura litus omne illud prope usque ad fluvium secundum paludem maiorem tenuisse verisimile est. Ea vero litoris pars, si Curtii rationem sequimur, facillima opera a Graecis defendi poterat, si eo loco, quo palus illa maior initium capit, inter paludem et mare parva quadam armatorum copia aditus intercludebatur, adiunctis praesertim navibus quibusdam, in quibus sagittarii ad defendendas illas viae angustias collocati essent. Ergo Datidis consilium, si in media planitie procul ab illis angustiis partem exercitus Graecis opposuisset, ut reliqui tuti naves conscenderent, omni ratione caruisset. Nam

hos ipsos, quos reliquisse dicitur, nulla necessitate cogente, gravissimo periculo exposuisset.

Ex omnibus, quae adhuc disputavimus, satis perspicuum est, scriptores doctissimos et sagacissimos frustra omnem impendisse operam, ut ex eis, quae Herodotus prodidit, veram aut verisimilem proelii rationem efficerent. Et profecto, si sola Herodoti vestigia premantur, rationem ullam omnino effici posse equidem nego. Iam supra incredibile esse demonstravimus, Athenienses tum demum, cum Persas apud Marathonem escendisse audivissent, Athenis profectos esse; nos quidem iam antea in Diacriae montibus aut certe in septentrionali Attica illos consedisse putamus. Nam si Persae iam eos paratos adesse vidissent, hoc loco omnino non exposuissent copias; si vero nondum prope fuissent, Persae nihil prius fecissent, quam ut angustiis potirentur. Ita fieri potuit, ut, quo die Persae appellerent et loco Graecis maxime iniquo, siquidem Persas escendere prohibituri erant, eodem Miltiades Marathonem proficisceretur, castraque poneret, priusquam omnes copiae in terram expositae essent, parvamque Atheniensium manum praesidii causa in eo loco collocatam oppressissent. Persae vero, cum a Graecis montes occupatos viderent, primum quidem castra posuerunt, prope mare, eo fere loco, quem Finlayus cognovit, inter paludem maiorem ac flumen Marathonium.

Postero die cum Datis ab equitibus certior factus esset, locum natura arteque satis munitum a

maiore Graecorum exercitu teneri ac defendi, tamen fretus suorum numero et fortitudine, quippe qui Graeculos adhuc maxime contempsisset, cum praeterea de Lacedaemoniorum adventu vel a proditoribus, vel ab Aeginetis comperisset, cum denique, si quovis alio loco escenderet, non minore cum difficultate, fortasse etiam maiore conflictandum sibi esse existimaret, hoc loco pugnae fortunam temptare decrevit.

Atheniensium exercitus, ut ait Nepos, collocatus erat in regione non apertissuma, vel montibus vel paludibus vel arboribus firmata, id quod optime in eum locum convenit, in quo Finlayus Graecorum castra posita fuisse arbitratus est. Atque dextrum Atheniensium cornu in regione plana quidem, sed eam ob rem fossis septisque munitissima inter montem et paludem minorem ac litus loco omnium periculosissimo, quippe cui Persae vel a fronte, vel a latere, fortasse etiam classe Persarum adiuvante imminerent, instructum erat. Hic, ubi Callimachus Polemarchus cecidit, videtur acerrime pugnatum esse. Aeantis[72]) tribus in extremo dextro cornu stetit, qua ex tribu ipse Callimachus erat. Praeter Aeantidem tres aliae tribus eo in cornu constiterant. Media acies aut in Argaliki monte aut in latere eius proclivi instructa erat. Miltiades ei, quod is locus magis munitus videbatur, quam ei, qui ab sinistra dextraque parte in planitie erant, quodque equi-

72) Plut. conviv. I. 10. 3.

tatui prorsus in accessus, peditibus etiam aggredientibus difficilis videbatur, tres tantum tribus tribuerat. Has enim ei defendendo sufficere existimabat. In eo tamen Miltiadem spem et opinionem illam propemodum fefellisse, nimisque eam aciei partem infirmam fuisse, ipsa pugna postea docuit. Hoc enim loco aut in montis radicibus vehementissime pugnatum est, cum Persae Sacaeque, optimae Persarum copiae, hac parte impetum facerent, posteaque omnis pugna hunc unum in locum quasi condensata esset. Neque tumulus ille, cui „Soros" nomen est, multum ab infimo eo monte abest. In tribus illis tribubus etiam Antiochis et Leontis [73]) erant, quibus Aristides et Themistocles praeerant. Sinistrum denique cornu in valle inter Argaliki et Cotroni montes sita constiterat, olivetis vinetisque referta, praeterea fortasse septis arboribusque stratis aliquantum munita, ut hoc etiam loco Persae equites sibi inutiles fore intelligerent. In ea valle etiam Marathon ipsa, sine dubio et ipsa munita, ad defendendos Graecos aliquid conferre poterat. In extrema sinistra parte Plataeenses erant Atticis tribus tribubus adiecti. Haec quidem hoc loco sufficiant, cum singulas aciei instructae partes ac rationes a Finlayo accurate et subtiliter tractatas et expositas videam.

Atque hoc modo intelligitur, qui factum sit, ut Miltiades mediam aciem minus firmam esse vellet.

---

73) Plut. parall. p. 321.

Nam si in proelio, aperto in campo committendo, id ita instituisset, ut is, qui ipse hostibus inferior esset; mediam aciem comminueret, crimen summae temeritatis aut inscientiae effugere non potuisset: nam quod Hannibalem proelio Cannensi[74]) eadem ratione exercitum instruxisse traditum est, id illum ita fecisse iudicamus, ut praecipiti quasi aleae omnia committeret, sed equitatu certe tantopere Romanos superabat, ut ne clades quidem accepta toti exercitui perniciem attulisset. Miltiades vero non equites, quibus hostes circumvenire posset, non sagittarios funditoresque habebat, quibus Persae abundabant, ut summae esse amentiae videretur, si Miltiades in iusto et aperto proelio totius aciei fundamentum ac robur evertisset. Ut vero nos Athenienses stetisse suspicamur, nihil Miltiades fecit, quod temere factum esse videri posset. Locos enim ipsa natura munitos etiam minus valido praesidio defendi posse putavit. Sic aciem paene dimidii orbis forma instruxit, defendentibus opportunam, aggredientibus difficilem, repulsis autem vel Graecis vel Persis periculosissimam. Sed quantum illud Miltiadis intererat? Victis enim Atheniensibus de Athenis et de Graecia actum esse intelligebat. Qui hoc loco sibi aut vincendum aut moriendum esse sibi persuasisset, ei non, quo pedem referret, reputandum erat.

Exadversum his Datidis copiae instructae stabant. Et dextro quidem cornui id muneris datum erat, ut Graecos ex valle Marathonia expellerent:

74) Livius XXII, 46

mediae aciei, ut Athenienses de monte Argaliki deiicerent, sinistrae vero exercitus parti una cum classe, ut via in Mesogaeam ducente potirentur, aditumque in ipsam Atticam aperirent. Quoniam autem longe difficillimum videbatur, in montem ascendere et eniti, Datis optimas, quas secum habebat copias, ea in parte collocaverat, Persas videlicet et Sacas, quos omnibus prioribus et posterioribus bellis fortitudine insignes fuisse constat. Equitatus cum in eo genere pugnae nullus usus esset, Datis eum post reliquum exercitum collocavisse verisimile est, ut, si Persae vicissent, sine mora ad Graecos persequendos admoveri posset, si res praeter spem cecidisset, ut receptum Persarum tutarentur.

Initio proelii facto, haud dubie primum in utroque cornu pugnatum est, ubi Persae in adversarios numero haud ita inferiores inciderunt, qui praeterea et loco opportuniore pugnarent, armisque ipsis Persis praestarent. Ergo omnes Persarum impetus ibi reiecti sunt, Graecique fortasse, cum Persas defessos et debilitatos viderent, ipsi adversarios aggressi sunt, cursuque citato, eo, cuius Herodotus mentionem fecit, ex munimentis suis proruperunt, et in hostes impetum acerrimum fecerunt, quo illi in fugam coniecti sunt. Nemo enim ignorat, quam exiguo intervallo impetus reiectus et dissoluta fuga divisa sint.

Interea Persis et Sacis pugna melius successerat, postremoque, etsi acriter ibi pugnatum est, Graecos iamiam pedem referre coegerant, ita ut unus alterve

ex iis terrore capti usque ad Mesogaeam refugerent. Rossius[75]) quidem, cum id eius descriptioni pugnae parum conveniret, Mesogaeam non eam planitiem quae vulgo hoc nomine dicitur, intelligi posse iudicat, sed loca quaedam a litore remotiora. At primum quidem Articulus huic verbo additus certam quandam et notam terrae partem dici satis docet; deinde, quod illam Mesogaeam a proelii loco minus longe abesse putavit, quam ut eo usque fuga extendi potuerit, profecto aliter iudicasset, si ipse eiusmodi fugam suis oculis vidisset. Finlayi igitur opinio prorsus probabilis est, fugientes illos Athenienses trans Argaliki montem in Mesogaeam pervenisse.

Miltiades vero, cum ipsum discrimen proelii adesse videret, cornua victricia revocavit, ut, omissis hostibus fugientibus, una se contra victricem mediam Persarum aciem converterent. Persae vero cum ab utroque latere circumveniri se viderent, in campum fuga se receperunt, ubi primum quidem ipsi resistere coeperunt, deinde ab equitibus excepti et adiuti Athenienses, ne victoriam longius persequerentur, impediverunt. Ita etiam, cur Persae ex fuga recepti naves conscendere, omnesque fere naves, paucis illis exceptis, sine damno in altum mare pervenire potuerint, intelligitur.

Datis cum Athenienses loco, quem tenebant, deiici non posse, suos vero et loci iniquitate et hostium fortitudine fugatos esse, intellexisset, alioque

75) Rossius l. c.

loco introitum in Atticam iam multo etiam difficiliorem sibi fore reputaret, id, quod vi assequi non potuerat, ut in magnam illam Atticae planitiem perveniret, consilio callidissimo efficere conatus est. Quare naves quam celerrime appellere ad litus omnemque exercitum, relictis etiam castris, conscendere iussit, ut Athenienses, et repentina Persarum fuga decepti et castrorum divitiis, veluti Danaorum quodam dono, irretiti, diutius ibi commorarentur, ipsi autem tempus esset, quo, nullo resistente, a portu Phalerico vel Athenas vel in planitiem progederetur. Quodsi statueremus, Datidem, iusto et aperto proelio medio in campo apud Marathonem victum, non impetum in montes ab eo susceptum repulsum esse, prorsus mirum et ab omni veritate alienum videretur, eundem imperatorem paucis post de novo eoque etiam audaciore conamine cogitare potuisse. Nam et ipsi Atheniensium animi victoria illa firmati videri debebant, et Spartanorum adventu copiae hostium admodum auctum iri; quare Datidem tantum ducem, Persasque tam fortes milites fuisse nobis iudicandum esset, ut satis eos admirari non possemus, qui primo die victi altero statim aggredi conarentur. Atque similis cogitatio Plutarchi[76]) iam pridem fuisse videtur, quippe qui de illo Datidis consilio omnino dubitaverit, etsi ea cogitatio vana et inanis est; quoniam, nisi Persarum classis Athenis conspectae memoriae omnium Atheniensium animis

76) Plut. parall. p. 321.

infixa fuisset, Herodoti temporibus tale quid fingi aut excogitari non poterat. Contra si Datis se non tam hostium virtute quam loci iniquitate victum esse putabat, nihil impedit, quominus se, quod Marathone damnum accepisset, id iusto proelio compensaturum esse sperarit. Sic etiam haec difficultas ea, quam equidem probo, ratione de medio sublata videtur.

Miltiades vero cum etiam ipse Datidis consilium perspexisset, unam Antiochidem tribum, Aristide duce, Marathone reliquit; ipse vero quam celerrime inde profectus, cum Persarum classis iam in conspectu Phaleri esset, eodem pervenit. Tum vero Datis, cum se etiam de hoc consilio deiectum videret, de subigenda Attica desperans in Asiam rediit.

Herodotus in proelio Athenienses centum nonaginta duo, Persarum vero sex milia et quadringentos cecidisse tradidit. Primo quidem eorum numerorum adspectu mirari licet, quomodo fieri potuerit, ut tot Persae tamque pauci Athenienses ceciderint. Sed primum famae aliquid tribuendum est, quae occisorum civium numerum fere minuere, hostium vero augere solet; atque Persarum quicunque vulnerati in ipso campo proelii conciderant, ei haud dubie omnes mortem passi sunt, contra res in Graecis sese habet. Porro Atheniensium non corpora caesa, sed ipsi cives in pugna amissi numerabantur. Et Atheniensium numero Plataeenses occisi adiungendi sunt, quos, si totidem ex iis ceciderunt, quot ex Atheniensibus, vigiuti fere fuisse statuere licet. His vero addendi sunt ei, qui ex servis et leviter armatis

interfecti sunt, numero haud dubie non pauciores, sed multo plures, quam milites gravis armaturae. Quare a veritate non longe aberravimus, si ex Atheniensibus et Plataeensibus fere quadringentos et triginta cecidisse putamus.

Persae vero omnino quadringenti et sex milia cecidisse dicuntur. Ab his si remiges, cum navibus captos secernas, circiter mille et quinquaginta homines, quibus Athenienses pepercisse vix credendum est, restant quinque milia trecenti et quinquaginta, qui pugnantes ex militum numero necati sint. Iam vero etiam ex hoc numero excludendi sunt ducenti et octoginta milites, totidemque leviter armati, qui praesidio loco navibus illis impositi erant. Sequitur, ut fere quatuor milia et octingenti Persae in pugna terrestri cecidisse videantur, quorum dimidiam sed minorem paullo partem hoplitarum fuisse coniicias; ne illud quidem praeteribimus, quod Pausanias narrat, multos Persas in paludem confugisse, ibique interiisse. Satis quidem magna ea iactura hominum est, sed reputemus pugnam adversus eos, qui montem tenerent, non incruentam esse potuisse, atque si, quantae caedes quantaeque iacturae alias clades veluti Cannensem atque ipsam Salaminiam aut Plataeensem secutae sint, consideraverimus, apparet, illam quidem Datidi non tantam videri oportuisse, ut de tota expeditione desperaret.

Unum superest, ut Spartanos purgemus, quibus, quod in pugna Marathonia non adfuerunt, summae perfidiae opprobrium factum est. At si ipsis Athe-

niensibus id persuasum fuisset, quis non videt, eos qualibet occasione oblata de Spartanorum proditione conquesturos fuisse? Quod non factum est, immo vero saepius laudibus extolluntur, quod tum tanta celeritate Atheniensibus auxilio venerint. Atque quod uno die post proelium advenerunt, id non tam graviter vituperandum esse, ex eis, quae supra disputavimus, manifestum est. Exercitum vero satis magnum duo milium Spartanorum miserunt, dimidiam prope civium partem, vel potius quatuor milia hoplitarum, si quidem, verisimile est, Spartanis parem Lacedaemoniorum numerum adiunctum fuisse, cum duodecim fere milibus helotum leviter armatorum. Regem non miserunt. Nam is Miltiade in imperio inferior esse debuisset, aut Miltiades illi cedere; quare etiam in eo Spartani prudenter ac moderate egisse videntur.

Absolvi opus, quod diu me tenebat, cuiusque cogitatio me etiam in bellum comitata est, nec me operae huius poenituit, si iudices intelligentes existimabunt, aliquid me contulisse, quo verae huius belli rationes cognoscerentur.

VITA.

Natus sum ego, Otto Felix Maria Victor Campe Neo-Ruppini die XXVIII. mensis Januarii anno MDCCCXLV patre Johanne Friderico Christiano, matre e gente Bohm, Augusta, quos adhuc vivos pie veneror. Primis litterarum elementis imbutus, autumno anni MDCCCLII in gymnasium Gryphimontanum a patre, eiusdem directore, receptus sum, cuius inter discipulos fui per novem annos et sex menses. Scholae examine superato operam daturus antiquarum literarum studiis vere anni MDCCCLXII Berolinam petii academiam, ubi per rectorem magnificum, virum illustrissimum, Prof. Magnum civibus adscriptus academicis per quater senos menses praelectionibus usus sum virorum illustrissimorum: Boeckhii, Hauptii, Kieperti, Mommsenii, Huebneri, Arndtii, Hoppii.

Tum vere anni MDCCCLXIV Gryphiswaldiam me contuli, et audivi viros illustrissimos: Schoemannum, Grunertum, Georgium, Hoeferum, Usenerum, Koenigsbergerum, atque ibidem in seminarium philologicum receptus sum, cuius exercitationibus praeerant Schoemannus et Usenerus. Quibus omnibus viris gratias ago quam maximas.

Simul ab autumno anni MDCCCLXIV usque ad autumnum anni MDCCCLXV officio militari satisfeci, quo nimis studia mea interrupta esse doleo. Gryphiswaldia vere anni MDCCCLXVI Gryphimontium me contuli, ut domi patriis auspiciis literis operam darem; iterum tamen insequenti mense in militarem ordinem revocatus bello novissimo proelioque Koeniggraetziensi interfui. Inde reversus adhuc literarum studiis totum me dedidi.

THESES.

I.

Catullum natum esse anno 669/85.

II.

In Herodoti libro VI, cap. 95 verbo ἱππαγωγοί νέες triremes significari.

III.

In Herodoti libro VI, cap. 103 minime Miltiadem decimum ordine praetorem fuisse, intelligendum esse.

IV.

In Sophoclis Trachin. v. 639 καλεῦνται cum Hermanno scribendum esse.